DEMOCRITUS RIDENS.

SIVE

CAMPUS RECREATIONUM HONESTARUM

Cum

EXORCISMO MELANCHOLIÆ.

GEDANI

Apud ÆGIDIUM JANSSONIUM à WAESBERGE, 1696.

DEMOCRITUS LECTORI.

Quoniam vidi, & scio multos sibi sapientes videri, & tamen insipientia sua oleum & operam plerumque perdere: ideo ex latebris & umbris meis redire in conspectum aliquando volui, & mei non similibus suam ostendere sapientiam: ut videant me non frustra ridere, sed ridenda proponere, non nugas illicitas, sed docentia veritatem & sinceritatem, ad cavendum vanitatem attendite qui lepidi, & lepidis honeste utimini; qui verò melancholici estis ex à me adductis, recreationem capientes, mentem sanam sequimini, quoniam semper verum est: ridentem dicere verum, quis vetat? *Vale.*

Oleum & opera perdita.

MErcator quidam judici vas oleo plenum donaverat, demerendæ gratiæ causa, quod cum adversarius ejus rescivisset, eandem ob causam porcum bene pinguem Judici offert, atque hoc munere litem vincit, conquerenti ea super re priori, & donum suum objicienti, respondit Judex, meminisse se liberalitatis ipsius, sed suem irrupisse in domum suam, & vas fregisse,

giſſe, atque ita cum oleo operam quoque perdidiſſe.

Gratia Principum inſtabilis.

DIdacus Arias, Cubicularius Joannis Regis Caſtiliæ, magna apud Dominum gratia, in familiari ſermone, aliis aliud eligentibus ſemper ſolitus eſt clavum optare, quo inſtabilem magnorum Principum gratiam affigeret, ne facile poſſet avolare.

Pulvinar debitoris.

QUidam multo ære alieno gravatus, nihilominus quiete, & hilariter vivebat, rogatus tandem ab aliquo creditorum ut ſibi pulvinar donaret, in quo tam placide, ſine omni moleſtia quieſceret, *Ego*, inquit, *quovis in lecto ſecure dormio: curam enim & vigilias pignoris loco relinquo iis, à quibus nummos mutuos ſumo.*

Novus Orpheus.

QUidam cum ad oſtium nobilis puellæ fidibus luderet, ingruente jam nocte ut fieri ab amatoribus ſolet, petitus eſt lapidibus à famulis domeſticis juſſu virginis amores ejuſmodi aſpernantis, itaque fuga ſalutem quærere coactus, cum poſtridie in corrivales harum rerum conſcios incidiſſet, ut jocum joco elideret, Orpheum, inquit, egi, in nocturna comœdia, nam lapides & ſaxa ſequuntur ludentem.

Par-

Purgatio loculorum.

QUidam taxillos luſorios, non inelegan-ter comparabat pilulis medicis, nam quemadmodum per has purgatur ſtomachus & inteſtina, ita per illos evacuantur loculi, & arcæ etiam pleniſſimæ.

Pictura probroſa.

IN Clementis VII. Summi Pontificis ſacellum Michaël Angelus celeberrimus pictor extremum judicium, atque inter damnatos neſcio quem Cardinalem ſibi inviſum depinxerat. Papa rem aut non animadverterat, aut artis cauſa diſſimulabat, itaque adit Pontificem Cardinalis, rogatque; ut probroſam in ſe picturam tolli jubeat, cui mox Pontifex, ſi in purgatorio foret habere ſe remedium, ex inferno neminem poſſe liberare.

Hæreſis pila.

CArolus V. Cæſar apud Cardinalem Granvellanum in familiari ſermone ſolitus eſt hæreſin Germanicam comparare pilæ, quam ſi putes in terra conquieſcere, mox alio atque alio loco reſilit in ſublime, nuſquam quieta.

Ingenium Pictoris.

ANtverpiæ mercator quidam depingi ſe curaverat, duodecim aureos Magiſtro pollicitus, ſi picturam ex arte, & ſibi quam ſimillimam confeciſſet, opere diligenter perfecto cum Mercatorem promiſſi pœniteret, negat picturam ſibi ſimilem, atque adeo aureos non numeraturum, advertit dolum Pictor. Recepta igitur tabula hunc aſtum excogitat: Capiti mercatoris quem in tabella expreſſerat cucullum & nolas morionis inſtar appingit. Atque ita in officina ſua cum hoc fatui habitu loco primario venalem exponit. Itaque in eo ſchemate agnitus facile à tranſeuntibus Mercator, (ut erat per urbem notiſſimus) redimendo ludibrio coactus eſt non modo picturam conſtituto pretio, ſed inſuper appictum morionis habitum nova pecunia emere, ita dolus dolo eluſus.

Qualis Uxor ducenda.

DEmoſthenes rogatus aliquando qualem Uxorem ducere oporteret. Reſpondit *divitem*, ut te ſuſtentet, *Nobilem* ut ornet; *Juvenem*, ut ſerviat; *Formoſam*, ut placeat: *Pudicam*, ne te fallat.

Quam ſis ducturus teneat P. Quinque puella,
Sit pia, ſit prudens, pulchra, pudica, potens.

Uti-

Utilitas studiorum.

JUlius II. solitus est dicere Doctrinam in homine ignobili, esse argentum, aurum in Nobili, in Principibus margaritas & gemmas prestantissimas.

Quæ ad bellum necessaria.

CArolus V. Imperator tria ad bellum gerendum, requirebat, pecuniam, commeatum, milites, & si quo eorum carendum foret, ante omnia bonos milites optabat, cum quibus cætera sperabat facile se inventurum.

Pecunia potior fide.

SImon Kronoch Florentinus Mercator, loco signi quo officinæ & ædes dignoscuntur, ignem, & in eo libros aliquot ardentes pingi jusserat; idque eo consilio ut si quis emptor advenisset sine præsenti pecunia, mox responderet, libros suos, in quos debita referret, igne absumptos ut pictura ostenderet, atque adeo nihil posse nisi pretio præsenti vendere.

Quæ maxima felicitas.

AUgustinus Nyssus vir celeberrimus & doctissimus, cum in ædes ipsius milites aliquot Hispani collocati essent, atque illi, ut in præsidiis fit, militari licentia susde-

que omnia raperent, agerentque; tandem in ſermone familiari apud Carolum V. rogatus quæ maxima eſſet in hoc mundo felicitas, nullos, inquit, domi milites Hiſpanicos habere. Cujus reſponſi libertas ita placuit Cæſari, ut mox eum inviſis Hoſpitibus liberaret. Nullus dubito quin Noſtrates Ruſtici & Cives qui omnium nationum militibus hodie plus nimio gravantur, idem cum Auguſtino ſentiant.

Qui in hoc mundo fortunatiſſimi.

REges & Moriones in hoc mundo neſcio quis feliciſſimos eſſe affirmabat; illos propterea, quod quidquid animo collibitum eſſet id etiam conſequi poſſent; hos quoniam miſeriarum & periculorum hujus vitæ ſenſum nullum haberent, atque ideo ſine cura & anxietate viverent, Meo ſane judicio is erit feliciſſimus qualiſcunque is tandem ſit, qui ſe infelicem eſſe aut neſcit aut non credit: nam talis quiſque eſt, qualem ſe eſſe putat.

Pedes in lingua.

ALphonſus Rex rogatus aliquando, cur qui podagra laborarent, eſſent ut plurimum loquaciſſimi, *nihil mirum*, inquit, *quoniam celeritas quæ antea in pedibus conſiſtebat, vi morbi pulſa ſe recepit in linguam,*

ita

ita cum pedibus non possunt, lingua deinceps ambulant.

Scopuli poculorum.

DOminicus Incognitus non minus celebris Professor, quam potator, in more positum habebat, ut antequam exiret domo haustum faceret, hunc in finem disposita erant per mensam, quam necessario transibat, pocula aliquot mero plena; Transiens ergo Incognitus, *quis*, inquit, *tot scopulos sine naufragio prætereat*, mox omnia siccabat.

Honorarium Alchimistæ.

LEoni X. Alchimista quidam librum dedicaverat de arte aurum conficiendi, cum ergo honorarium amplissimum speraret, & eam ob causam Papam continuo affectaretur, tandem Pontifex crumenam bene magnam homini donat, nempe ut quoniam aurum ipse sibi posset conficere, haberet quo illud reconderet, ita hic spe sua utrobique frustratus est.

Epitaphium Semiramidis.

REgina Semiramis sepulchro suo inscribi jusserat hunc in modum: Si quis Regum pecunia indiget, aperiat hunc tumulum, & capiat quod satis est: hac epigraphe lecta, Rex Darius aperiri sepulchrum jubet, sed loco thesauri quem se repertu-

rum ſperaverat, hæc verba, inciſa reperit, niſi te inſatiabilis avaritia adegiſſet, certe mortuos non turbares.

Par pari.

CArolus V. Cæſar rogabatur aliquando ab Hiſpano, ut Germanis militibus gravi edicto crebras compotationes prohibere, cui reſpondit Cæſar, hoc quidem interdicto tantum efficiam, atque illo quo Hiſpanos meos jam dudum à furtis & rapinis conor abſterrere, innuens utrobique ſe operam perdere.

Verba adulatorum.

REx Demetrius dicere ſolebat, detractorum & adulatorum verba, ventris flatui, (Venia ſit verbo) ſibi perſimilia videri, nam nihil referre quo oſtio, per poſticum, aut anticum ſpurcities effluat.

Cruces Palatinæ

CUm Spinola Anno 1622. in Palatinatum duceret, eſſentque in exercitu ipſius complura vexilla crucibus Burgundicis inſignita, ait non nemo, Palatinos hactenus in Crucem non crediſiſſe utpote bonos Calvini & Bezæ diſcipulos, at jam ſenſuros Crucis contemptæ vindictam, adeo ut ne Cruciatum quidem (nummi id genus eſt) in arcis ſuis retenturi ſint.

Majus

Majus periculum à Vulpe quam à Leone.

CArbo, Dux Romanus, in eo bello quod contra Sullam gessit, solitus est dicere, sibi rem esse non modo cum ferocissimo Leone, sed multo magis cum callida vulpe, atque hanc se magis timere quam Leonem, nam hujus omnis vis in aperto est, ac proinde facile caveas, vulpinas fraudes difficile deprehendas.

Uxorem duxi, libertatem vendidi.

QUidam magnopere gloriabatur, quod uxorem admodum opulentam duxisset, cui alter, An tu ignoras fatuè, inquit, quod per idem ostium quo dotem pretiosam intromisisti, libertatem amiseris. Magna dote libertas venditur, & pretium dotis putat mulier, ut imperet.

Quomodo fugienda paupertas.

QUatuor sunt quibus evitatis facile egestatem vitabis, familiaritas puellarum, frequentia convivia, Lusus alearum, & ante omnia ocium, nam Dii laboribus omnia vendunt.

Unum plus quam Septem

A Fabro ferrario aliquando eleëmosynam petebat studiosus quidam, non ita pridem Magister artium promotus, roga-

tus

tus igitur à Fabro, qualis esset, & cur non etiam artem aliquam, uti ipse, addisceret, unde victum honeste quærere posset. Quin imò, inquit alter, jam Septem artium magister factus sum; O te miserum, respondit Faber, qui cum Septem artibus mendicare debeas, unam ego didici, hanc quam vides ferrariam, cum hac, me, uxorem, liberos & totam familiam sustento.

Imperium Romanum comparatum Testudini.

LEgatus quidam Turcicus cùm in aula Regis Galliarum quemdam vidisset testudine optime ludentem, animadvertisset interim eundem multum temporis adhibere, priusquam chordas in concordiam componeret, sæpe quoque frangi aliquas aut resilire, induxit ille Turcicum fidicinem qui novo instrumento duarūm tantum chordarum, concentum Mauricum & Symphoniam non inelegantem edebat. Cantu absoluto ait Legatus Testudini sibi simile videri Christianum imperium, in quo totidem capita sint quot chordæ, & sane plúrimum temporis ad componendam concordiam requiri, hæc ubi inventa sit, periculúm esse, ne chorda aliqua aut frangatur aut resiliat, atque ita tota melodia perturbetur.

Petitio

Petitio argute elusa.

THemistocles Princeps Atheniensium ab Andriis pecuniam petebat, futuri belli subsidium, conclusurusque petitionem omnino ajebat se confidere numerandam pecuniam, cum duo validissima adferret nomina *Suadelam & necessitatem*, negant nummos Andrii, nec posse sane refragantibus maximis item ejus Insulæ numinibus *Inopia & Impotentia*.

Octo virtutes Cardinales, & totidem vitia capitalia.

ANdreas Mantineus nobilis in Italia pictor jussu Innocentii VII. septem virtutes Cardinales & his opposita totidem vitia depinxit, opere absoluto, ut pungeret Pontificem non satis hactenus largum laborum remuneratorem, si placeret, ajebat Pontifici, habere se octavum quod appingeret *Ingratitudinem*; Ictum se sentiens Papa, placet, inquit, sed memineris & virtutibus octavam adjungere *Patientiam*.

Quinta essentia boni Principis.

CAroli V. Imperatoris vulgatissimum fuit Apophthegma; cunctatio anima est consilii, celeritas executionis, utraque simul juncta, Quinta essentia boni Principis.

Rex hoſpes villici.

PHilippus II. Rex Hiſp. ex itinere in domum Ruſtici diverterat, atque ibidem ingruente maxima tempeſtate pernoctare coactus eſt; apponit Villicus in cœnam quæ habebat, admodum ſolicitus quomodo tantum hoſpitem tractaret. Mane Rex advocato villico & actis gratiis jubet ut à ſe aliquid viciſſim petat, libenter ſe ei gratificaturum. Tum Charaſcus; id erat villico nomen, Deum, inquit, precor, ut te quidem diu in hac vita incolumem conſervet, mihi vero eam det gratiam, ut alter alterum poſt hac amplius non videamus.

Temeritas Iuvenilis.

ROmæ nobilis adoleſcens & non vulgaris doctrinæ, hoc vitio laborabat; ut quacunque de re ſententiam ſuam ſubito, ut mos eſt ejus ætatis, & ſine conſideratione proferret, id cum multi reprehenderent, Cardinalis Polus, non vos intelligitis, inquit, eruditionis etiam pauxillæ in juvenum animis eam vim eſſe, quæ muſti in dolio, cum fervet ebullitque, ut niſi ſpiramenta laxes vaſa omnia frangat.

Ridicula conſolatio.

SCripſerat neſcio quis amicus ad Cardinalem Polum conſolatorias, multis præter

ter rationem inepte congeſtis rationibus, quas perlegens Cardinalis, ſane, inquit, aptiſſimæ ſunt ad conſolandum hæ literæ, quas nemo ſine riſu facile legerit.

Quid in hac vita optimum.

CAtharina Hiſpaniæ Princeps, & uxor Henrici VIII. Angliæ Regis, poſtea ab ipſo per injuriam matrimonio expulſa ſæpe ſolita eſt ad amicos dicere, nec nimis adverſam, in hac vita fortunam, nec nimis proſperam à Deo Immortali petendam. Si tamen alterutrum eligendum ſit, malle ſe fortunam miſerrimam quam feliciſſimam, afflictis enim ut ſæpe non adeſſent ſolatia, ita ſemper fere felicibus deſit bona mens, & recta ratio.

Spes in Deo.

IN eo prælio quo Sebaſtianus Luſitaniæ Rex à Mulei Moluco Mauritaniæ Rege profligatus atque occiſus fuit, perditis jam rebus cum Chriſtophorus Tavora Architribunus quaſi deſperabundus exclamaſſet, ô Rex? ô Domine mi, quid jam auxilii ſupereſt. Rex ſolita in Deum confidentia plenus, *Cœleſte*, inquit, *ſi digni ſimus*.

Haud paulò poſt cum idem Tavora Mauritanos confeſtim in Regem irruentes videret, rogaretque ut ſibi enſem traderet, ne de eo erepto barbari gloriarentur. Non

eſt,

eſt, inquit, regis libertatem niſi cum ipſa vita amittere.

Fraterni amoris exemplum.

ANno Domini 1579. navis Hiſpana ad promontorium bonæ ſpei naufragium fecerat, ſupererat lembus unus quinquaginta fere hominum capax, in hunc præfectus illico deſiliens, jubet cæteros inter ſe de lembo ſortiri, erant autem naufragorum quingenti circiter, inter cæteros quibus ſors faverat erat juvenis quidam cælebs, habebat is in eadem navi fratrem natu majorem & aliquot jam liberorum patrem, huic ſortem defert, rogatque ſe lembum conſcendere, diu cunctatus, tandem amori fratris obſequitur; interim naufraga navis in conſpectu reliquorum dehiſcit, arripit in eo periculo quiſque quod potuit, & ecce admirabilem Dei providentiam, Juvenis ille dolium nactus, eique placide inſidens divina haud dubie manu, primus omnium in portum feliciter invectus eſt.

Rara avis bona mulier.

MEſſinæ in Sicilia quidam conjectus erat in vincula, quod quinque Uxores omnes vivas adhuc duxiſſet in matrimonium, interrogatus eo ſuper ſcelere à Judice; Ego, inquit, experiri volui an inter tot

tot unam bonam reperire possim, cum qua reliquum vitæ exigerem. Certe, respondit Judex, vereor ego ne tu talem in hac vita reperias, itaque suadeo tibi ut eam quæras in altera, atque ita hominem capite plecti jussit.

Imitari facilius quam invenire;

CHristophoro Columbo, qui primus admirabili audacia solertiaque orbem terrarum circumnavigavit, quidam super cœnam objecerat, non ita sibi magnum videri id factum, potuisse & alios idem præstare, si rebus ad id iter necessariis instructi fuissent; Columbus dissimulato hoc sermone accipit ovum è patina rogatque num id aliquis super mensam erectum sine omni fulcimento possit statuere. Negantibus reliquis, Columbus alliso ad mensam Ovi acumine ut modice & æqualiter frangeretur, ovum ipsum in mensa collocat. Risere circumstantes, tum Columbus, nemo, inquit, vestrum jam est qui hanc artem nesciat, cum ego docuerim, certe & multi post me Oceanum tentaturi sunt, & fortasse etiam me felicius, nunquam tamen id facturi nisi ego præcessissem, ita facilius est inventa imitari, quam invenire quod alii imitentur.

Lis de Uxore.

MArtinus Guerre Tolosanus uxorem duxerat juvenculam, deinde in militiam profectus, ea domi relicta, abfuit fere per decennium, Elapsis annis octo circiter, quidam Arnoldus Tibius Martino per omnia similis, ejusque commilito, atque adeo arcanorum ipsius conscius, ad uxorem ejus adit ac se pro Martino venditat; facile mulier decepta est viri similitudine, postquam ergo biennium circiter simul vixissent & prolem etiam suscepissent, revertitur Martinus Guerre, & uxorem repetit; Re diu coram Judicibus ventilata tandem Martinus agnitus uxori restituitur, alter in furcam actus dignum imposturæ suæ præmium recipit. Acta res est in Curia Tolosana. Anno M D LIX.

Virgilii Iocus in Cæsarem.

VIrgilius poëta cum apud Cæsarem Augustum in magno honore esset, atque ei quotidie jussu principis panes præberentur gratis, tandem in familiari apud Cæsarem sermone, cum rogaret Augustus qua se familia, & quibus majoribus ortum arbitraretur; Pistoribus respondit Maro, ut qui à te hactenus nihil nisi panes acceperim, placuit Jocus Cæsari, atque ideo liberalior deinceps in Virgilium fuit.

Par

Par Pari.

TAbellio quidam iter per pagum faciens, canem hianti in ſe rictu irruentem præferrato ſcipione per jugulum transfixit, accuſatus ea de re à Villico apud Prætorem objurgatuſque cur non potius inverſa ſcipionis parte canem à ſe amoviſſet, non ſane inquit, nam & ille præparato morſu atque exertis dentibus me invadebat.

Luna Dimidiata.

ALvarus de Luna inter Magnates Hiſpaniæ haud poſtremus pro inſignibus utebatur Luna dimidiata, his apud parietem pendentibus quidam ſubſcripſit hæc verba: *Nunquam plena.* Alvarus non intellecto ſenſu hominem ad ſe vocat, & rogat quid ſibi verba illa ſubſcripta vellent, Reſpondit alter, nihil eſt quod tu magis optaveris: An tu neſcis Lunam cum plena eſt ſtatim decreſcere, ita ego te ſemper creſcere, nunquam decreſcere volui.

Homo vitreus.

THomas Rotarius à puella quadam philtro amatorio ita intoxicatus eſt, ut cætera, rationis & mentis bene compos, uno phantaſiæ vitio corriperetur ut ſe totum vitreum putaret, itaque cum ſibi neceſſario

foras prodeundum eſſet, incedebat per medios vicos ne tegulæ aut prætereuntis alterius incurſu frangeretur, tandem cum à Magnate quodam Hiſpaniæ poſtularetur, neque modum ſciret, quomodo perduci eo ſine læſione poſſet, ipſe enim erat in Gallia, excogitatus eſt modus ab amicis, ut videlicet una cum vaſis vitreis & Criſtallinis ſtramine, & fœno circumvolutus ut fieri ſolet, in Hiſpaniam veheretur, totum fere biennium laboravit eo morbo, atque interea multa prodidit acutè ſane & ingenioſe dicta, donec tandem à Religioſo Hieronymitano curatus eſt.

Phantaſiæ abſurdæ.

INcredibile eſt quid non ſibi perſuadeat Phantaſia hominis corrupta, fuit quidam qui ſe mortuum crederet, ac propterea ab omni cibo potuque abſtinebat, tandem cum nulla ratione cibum vellet ſumere perſuaſum eſt homini etiam mortuos comedere, Eam in rem apparatur mortuale convivium occluſis circa feneſtris, panno nigro veſtiuntur parietes, menſa in medio triclinii opiparis dapibus inſtruitur, mox prodeunt perſonata cadavera, ſervi & famuli domeſtici, omnes longo lineo amictu in ſimilitudinem defunctorum compoſiti; diſcumbitur, eſtur, potatur ſtrenue, ſed

cuncta

cuncta summo silentio transacta ut vera cadavera crederes, Hæc conspicatus ex angulo alter ille non jam amplius dubitabat quin mortui comederent, itaque, ut erat famelicus, adjungit se sodalibus, atque una cum ipsis cibum capit, & haud multo post ex morbo convaluit.

Mendicus gloriosus.

MAuritius quidam, qui humili loco natus virtute & doctrina ad Parisiensem postea Episcopatum evectus est, cum literis adhuc operam daret, & victum mendicando colligeret, nunquam voluit stipem accipere à prætereuntibus eo pacto ut ne Episcopus unquam Parisiensis fieret, nam ita nonnunquam ob summam diligentiam vexabatur à consodalibus; Igitur hac addita conditione stipem quantumvis liberalem generose respuebat, Res hæc tum quidem derisa, procedente tempore in Præsagium vertit, ubi revera ad Episcopatum provectus fuit.

Cicero ambiguus.

IN bello civili quod Cæsar & Pompejus uterque contra Rempublicam pro principatu gessit, cum se cives in partes dividerent; prout quisquis Pompejo vel Cæsari amicus erat, diu Cicero ambiguus hæsit, cumque ea super re rogaretur ab amicis, Quem

Quem fugiam, inquit, ſcio, quem ſequar neſcio, quaſi diceret utriuſque victoriam Reipublicæ pernicioſam fore, neque magis Cæſarem quam Pompejum contra libertatem Patriæ pugnare.

Iuriſperitus indoctus.

IDem Cicero cum C. Popilium, qui Juriſperitus haberi volebat cum eſſet indoctiſſimus, in controverſia quadam teſtem citaſſet, atque is reſpondiſſet, ſe nihil ſcire, tum Cicero, certe, inquit, non puta quod te de jure interrogem.

Probrum retortum.

METellus Patricius ut ignobilitatem Ciceroni homini novo objiceret, rogavit eum aliquando quis pater ipſius fuiſſet, tum Cicero, hoc tu, ait, matrem tuam interroga. Tunc enim Pater incertus eſt cum mater eſt proſtitutæ pudicitiæ, qua infamia non parum laborabat Mater Metelli, ſic convicium regeſtum in Authorem.

Victor Victus, & Victus Victor.

DEmoſthenes ſummus Græciæ orator cum à quodam conviciis peteretur; in publico foro; committor, inquit ad circumſtantem populum, in certamen in quo ſi victus fuero, vicero, ſin vicero victus ſim,

innuens

innuens eum in convitiis victoriam reportare qui in speciem victi tacuerit.

Pœnitentia pretiosa.

DEmosthenes cum aliquando Laidis nobilis scorti amore captus Corinthum navigasset, atque illa pro unica nocte magnam auri vim, videlicet decem dragmarum millia (sunt fere mille aurei nostrates) stipularetur, deterritus magnitudine pretii, dixisse fertur, *Non tanti emo pœnitere.*

Sponsus senex.

CIcero jam senex objurgatus ab amicis quod homo sexagenarius puellam virginem duxisset in matrimonium, exspectate, inquit, cras enim erit matrona.

Consul unius diei.

CAninius Revilius cum uno tantum die Consul fuisset, jocatus est Cicero vigilantiorem Consulem Romam non habuisse, nempe qui toto suo consulatu somnum non vidisset.

Medium majus quam totum.

QUintus Cicero Marci frater in provincia quam rexerat, imaginem suam à capite ad pectus ingentibus lineamentis efformari curaverat, erat autem staturæ

pusillæ, id cum forte præteriens vidisset M. Tullius, frater, inquit, meus dimidius major est quam totus.

Idem cum Lentulum generum suum exiguæ staturæ hominem prælongo gladio videret accinctum, Quis, inquit, alligavit generum meum gladio?

Arcanum gubernationis.

Dionysius Siciliæ Tyrannus reprehensus ab amicis quod honore dignaretur cæterisque præferret hominem improbum, populoque invisum, Satius est, inquit, ut populus illum quam me oderit: ita & hodie multi principes inter instrumenta gubernationis, & Munera odiosa libenter adhibent ministros subditis invisos, ut odia ipsis principibus debita, in Ministris expirent.

Sacrilegium joco excusatum.

IDem magni ponderis aureum amictum Jovi Olympio detraxerat, quo eum Hieron ex manubiis Carthaginiensibus ornaverat, proque detracto auro, laneum illi pallium injecit cum hoc cavillo: aureum amiculum æstate grave est, hyeme frigidum, laneum ad utrumque anni tempus accommodatius est.

Epidauri cum Æsculapio barbam au-

ream

ream detraxiſſet, negavit decorum eſſe, filium barbatum videri, cum pater Apollo imberbis ſit.

Idem cum ex fanis pæne omnibus, aureas pateras, coronas & cætera deorum ornamenta abſtuliſſet, perabſurdum ait videri, nolle accipere dona à Diis ultro porrigentibus, à quibus quotidie bona flagitamus, alluſit ad ſimulacra quæ manibus, in modum offerentium, dona iſta tenebant.

Vindicta Regia.

IN Artaxerxem Regem quidam ex infima plebe multa licenter & contumelioſe effuderat, quem Rex ita ultus eſt, ut ei per tribunum militum denunciaret, licere ei in Regem quæ vellet, dicere: ſibi verò in illum licere quæ vellet, & dicere & facere.

Etiam hoſti non maledicendum.

MEmnon præfectus exercitus Darii Regis in eo bello quod geſſit contra Alexandrum Magnum, militem quendam mercenarium, multa convitia petulanter jacientem in Alexandrum, haſta percuſſit, dicens, ego te alo, ut pugnes adverſus Alexandrum, non ut illi maledicas, maledicere enim ſcurrarum eſt, militum pugnare.

Nimia loquacitas.

CRates Philosophus cum haberet Aristonem discipulum multa temere & futiliter garrientem, fieri, inquit, non potest quin ebrius ebrio patre natus sis. Ebriorum enim est sine ratione de omni re fabulari.

Par pari.

ZEno Philosophus Cynico cuidam oleum ab ipso petenti negavit se quicquam daturum, rogatus causam, ait, impudentiam impudentia retundendam esse, cum enim prostet venale petere, esse par factum ejus qui cum possit nolit cedere.

Ex in fortunio fœlicitas.

CRates mercator cum juxta Pyreum naufragium faceret omnium bonorum, relicta mercatura contulit se ad Philosophiam, itaque solitus est dicere, nunquam se melius navigasse quam cum naufragium fecisset, siquidem uno illo curis innumeris erat expeditus: Zenoni cum consuluisset oraculum quo modo, vitam optime instituerct, respondit oraculum, *Si mortuis concolor fueris.* Eo dicto ad studia Philosophiæ remissum autumant, studium enim & inedia pallorem conciliant.

Victoria damnosa.

PYrrhus Epirotarum Rex, bis commisso cum Romanis prælio victor, sed desideratis compluribus viris strenuis amicisque, si adhuc semel, inquit, ita vincimus, perriimus. Innuens nimis damnosam esse victoriam aut potius cladem nominandam, quæ strenuissimi cujusque cæde constaret.

Sic fuit in fatis.

CRates Thebanus cum servum in furto deprehensum cædi jussisset, atque is excusaret se & diceret, in fatis sibi fuisse ut furaretur. Quid ni, ait Crates, etiam in fatis fuerit, ut jam cædereris, sapienter innuens stulte admodum malitiam nostram in fatorum necessitatem conferri. Simillimum est illi quod Calvinianis in Anglia accidit.

Moderatio luxus.

IDem, cum reprehenderet quosdam luxuriose admodum & magnis impensis viventes, atque illi ita se excusarent, sumptum se facere ex eo quod abundabat. Quin imò, inquit, ne coquo quidem ignoscendum est, si salem aut piper immodice cibo inspergat propterea quod dicat se ejusmodi condimentis abundare. Nempe non ex

rerum copia ; ſed ex uſu & neceſſitate naturæ victus æſtimandus eſt.

Solitarius.

CLeanthes conſpicatus quendam ex amicis ſolum obambulare, & neſcio quid intra ſe muſſitare, acceſſit hominem interrogavitque cum quo loqueretur ? mecum, inquit alter. Tum Cleanthes ; vide, ait, ne cum homine improbo loquaris.

Præſtat ſtulte quam male agere.

PYthagoras rogatus ab Agrigentinis ut una cum ipſis Rempublicam eorum adminiſtraret, & novas leges conderet ; ſed ille eam, ut deploratam, contemnens, ſeceſſit in templum Dianæ, ibique cum pueris ludebat talis. Circumſtanti & admiranti populo. Hic, inquit, præſtat tempus, quam vobiſcum Rempublicam perdere.

Fortitudo Zenonis.

ZEno accuſatus quod conjuraſſet in perniciem Nearchi Tyranni, cum in quæſtionibus juberetur edere nomina conjuratorum, nominavit pleroſque illi amiciſſimos, de his cum Tyrannus ſumpſiſſet ſupplicium, rogaretque num quis ſupereſſet ? tu ſolus, inquit, & cum dicto abſciſſam dentibus linguam in os tyranni expuit.

Concordia.

LEo Byzantius Sophista cum venisset Athenas ut populo tumultuanti concordiam suaderet, adscendit in suggestum, mox ipsa corporis specie risum populo movit, erat enim obesus ac ventre prægrandi, at ille nihil turbatus risu multitudinis, quin arrepta occasione; quid ridetis, inquit., Viri Athenienses, Uxor mihi est, me multo obesior, & tamen concordes unus capit lectulus, discordes ne tota quidem domus.

Iudex sit sobrius.

MUlier quædam apud Philippum Regem causam egerat, cùm ergo Rex temulentus sententiam tulisset adversus fœminam, atque illa animadverteret non Regis sed vini errorem esse: Provoco, inquit, mirantibus cæteris cum è consiliariis quidam interrogaret, ad quem ergo provocaret, cum Rex ipse judicasset, qui superiorem Judicem non agnosceret. Provoco, inquit, ad Regem sobrium. Excussit Regi muliebre convicium temulentiam, effecitque ut Rex præsentiore animo causam cognosceret. Mirari sic liceat non magis mulieris libertatem, quam patientiam Regis etiam in ebrietate tantam linguæ libertatem æquo animo ferentis.

Distantia veritatis à mendacio.

THales Milesius interrogatus quantum distaret à mendacio veritas, quantum, inquit, oculi ab auribus, sentiens ea demum esse indubitatæ fidei quæ oculis cernimus, rumoribus ac fabulis hominum haud tuto credi.

De umbra Asini.

DE gravibus Reipublicæ Negociis disserebat Demosthenes coram populo, sed is tædio, seu rerum, seu temporis cœpit fastidire perorantem atque obstrepere, tum Demosthenes facto silentio, hanc fabulam exorsus est: Adolescens, inquit, quidam æstate asinum conduxerat ab Athenis Megaram usque. Sole vero circa meridiem vehementer æstuante; uterque volebat subire umbram asini, sed alter alterum repellebat, hic dicebat, Asinum quidem conductum esse non umbram, alter contendebat, per conductionem & Asini & Umbræ jus sibi factum, atque hæc locutus descendit è suggestu, sed populus retinere abeuntem, & narrationis finem summopere flagitare, tum Demosthenes subiratus: De Asini, inquit, umbra audire cupitis, de Republica differentem fastiditis, atque ita se domum proripuit.

Pluvia Socratica.

XAntippe Uxor Socratis, nescio qua de causa multis verborum contumeliis, & clamoribus Socratem domo ejecerat, sed is nihilo turbatior adsedit ante ostium quietus dum tempestas illa præteriisset, Xantippe igitur cùm videret virum suum non magnopere tristari, ascendit in cubiculum arreptaque matula omne lotium in caput infra sedentis effundit. Mirantibus iis qui transibant impudentiam mulieris, Nihil mirum, inquit Socrates, si cùm tonuerit, etiam pluat.

Impudentia castigata.

ALexander Sophista pro Seleucia ad Antonium primum Legatus, cum peroraret, videretque Cæsarem non satis attentum ad ea quæ dicebat, clariore voce dixit: Ausculta me Cæsar, Cæsar autem acrimonia reprehensionis exasperatus: Ausculto, inquit, intelligoque te oppido bene, Tu enim ille es Alexander qui colis comam, qui semper oles unguentum.

Fictæ lacrymæ.

IN pago quodam ducatus Juliacensis vir decesserat, ejus uxor etsi virum in matrimonio pessime habuerat, post mortem ejus cæpit vehementissime plorare, & palam vicinis contestari sese pati non posse

ut à tam caro ſibi capite divelleretur. Nemo erat cui non fictus mœror appareret, Quid fit ? die ad ſepeliendum conſtituta vicini qui funus efferre debebant, quaſi per oblivionem relicto cadavere, vacuum capulum domo efferunt, ducitur funus, & jam aliquantum proceſſerant, cum mulier animadverſo errore, magna voce revocat abeuntes; jubetque ut una virum efferrent: ita, quod paulo ante nolle videbatur, jam jubebat.

Conſilia clam habenda,

METellum Romani excercitus Imperatorem fortiſſimum juxta & prudentiſſimum tribunus quidam militum interrogaverat, quo duceret? cui Metellus; ſi ejus rei, inquit, ſcirem tunicam mihi conſciam, mox exutam in ignem conjicerem, prudens vox maxime in belli Duce quibus nihil periculioſius quam conſiliorum propalatio.

Hircus arietans,

COloniæ Agrippinæ, ſub concione ſacra pomeridiana, mulier quædam dormitabat, & uti fieri ſolet moto identidem capite furci inſtat conquiniſcebat, viderat id forte illac delatus hircus è vicinia, is ergo ſe ad duellum provocari ratus, cum ter quaterve hoſti ſuo bellum annuiſſet neque illa abnueret, capto impetu toto corpore & capi-

te

te in mulierem arietat ita ut è ſede ſua in terram prolaberetur, riſit effuſe tota concio, & didicit mulier cautius deinceps dormitare.

Injuriæ ferendæ.

DÆmonax Philoſophus Athletam quendam reprehenderat quod cultu molli floridoque in Olympiis uteretur, is ergo ira incenſus jacto lapide caput Philoſopho convulnerat ut ſanguis copioſe proflueret, id factum indigne ferentes qui aderant, hortati ſunt ut adiret Proconſulem. Nequaquam, inquit, O viri ad Proconſulem ſed ad Medicum potius. Idem navigaturus in Aſiam pro Legato, rogatus ab amico num etiam metueret, ne naufragio ejectus à piſcibus devoraretur, Quid, inquit, metuam à piſcibus qui tot piſces devoraverim.

Aſinus emit Aſinum.

HErus quidam famulum ad forum miſerat, ut equum emeret, ille ſeu ſtoliditate ſeu errore ductus emit Aſinum, Itaque domum revertens Hero expoſtulanti, quod tam fœdum & parvum animal, pro equo emiſſet, imo, inquit famulus, ſi hinnulus iſte pro magnitudine & proportione aurium creverit, nullum tu equum in tota

provincia & pulchriorem, & eo majorem reperies.

Homo Platonicus.

JUlius Cæſar Scaliger, cum in Platone legiſſet, animam hominis eſſe verum hominem, corpus vero nihil eſſe aliud quam domum in qua anima habitaret, cibum ſumpturus, ſolebat ad ſodales dicere, Eamus ad fabricandum murum homini Platonico.

Umbra Leonidæ.

LEonidas inter Græcos fortiſſimus belli Dux, cum quidam hoſtium multitudinem deprædicando, diceret cras ſolem Græcos non viſuros propter barbarorum ſagittas: imo, inquit, nihil nobis accidet jucundius, ſiquidem ſub umbrâ pugnabimus.

Remedium oculorum.

NArrat Author fide dignus fuiſſe vetulam quæ gravi oculorum infirmitate laboravit, à qua cum nullis remediis liberari poſſet, acceſſit ſtudioſum qui forte ejus hoſpitio utebatur, rogavitque auxilium, Quid fit? ille ſpe lucri ſimulat ſe habere morbi ejus præſtantiſſimum amuletum, accipit ergo ſchedam, pingitque in ea characteres novos & inſolitos, deinde adſcribit

ſcribit literis majuſculis hæc fere verba: *Dæmon eruat oculos huic vetulæ; & foramina ſtercoribus repleat.* Hanc chartam bene conſignatam pannoque ſerico involutam jubet anum ad collum appendere, prohibetque nemini mortalium det reſerandam legendamque, alioquin ipſi majorem morbi vim atque adeo cœcitatem ipſam imminere. Credidit ſuperſtitioſa vetula, & diligenter obſequitur? Itaque non multo poſt morbo ex cauſis naturalibus recedente, aut certe ope dæmonis mulierem in ſuperſtitione ſua confirmantis, ſanatur, ac priori oculorum valetudini redditur. Fides ſit penes authorem. Id certe non eſt dubitandum Dæmonem ejuſmodi artibus ſæpiſſime ſimplicioribus illudere.

Quot ſunt mundi.

IN Academia quadam celebri Germaniæ theſes erant Phyſicæ propoſitæ, & inter cæteras illa, non eſſe niſi mundum unicum. Hanc quidam ex ſcholaribus oppugnaturus, Propoſuit illud ex Evangelio de leproſis decem ſanatis, ubi uno reverſo ac gratias agente, Chriſtus Dominus quaſi expoſtulans, inquit, *Nonne decem mundi facti ſunt.* Cum ergo, inquit argumentans, decem mundi facti ſunt, falſa eſt theſis. Præſes diſputationis cùm ſtolido argumento

mento facile poſſet reſpondere, quandoquidem, ait, ex ſacris literis argumentaris, ex iiſdem tibi reſpondeo, ubi mox poſt ea verba que tu jam recitaſti hæc invenies, *Sed novem ubi ſunt, non eſt inventus niſi hic unus.* Ita ſtulto juxta ſtultitiam ſuam reſponſum.

Crabrones non imitandi.

WOlfgangus Archiepiſcopus & Elector Moguntinus habebat in familia ſua & recreationibus hominem facetum ac ſemifatuum, linguæ etiam latinæ non nihil peritum, Wicelium vocabant, hunc præſente Principe, Nobilis quidam exagitandum ſuſceperat, & maxime in ignorantiam ipſius invectus, negavit ipſum ſcire ex regulis grammatices cujus generis eſſet mater, tum Wicelius enim vero, inquit Generoſe Domine, magna me injuria afficis qui me tam ſtupidum arbitraris ut iſtud neſciam, teſtor itaque præſentes omnes me iſtud ſcire ajoque matrem meam eſſe generis fœminini, tuam vero generis communis. Ita Nobilis maximo riſu à circumſtantibus exceptus, didicit deinde cautius cum fatuis converſari.

Remiſſio injuriarum.

COncionator quidam magnopere aliquando commendabat ſuis auditoribus amo-

amorem proximi & quæ huc ſpectat remiſſionem injuriarum, tamdem concludens ſermonem, quis autem eſt, hodie auditores, qui libenti & prompto animo ignoſcat? quis inquam! mox reſpondens ex auditoribus muliercula quædam quæ jam diu Cœlum viro optabat, Ego, inquit, Pater, ex intimo corde ignoſco omnibus, etiam virum meum trucidaturis.

Cancellarius ineptus.

PRinceps quidam Germaniæ cum in demortui Cancellarii locum, novum aliquem ſed inidoneum ſuffeciſſet, & propterea oblique nonnumquam perſtringeretur; ruſticos ſe imitari, ait, qui ſi caſu cultrum amiſerint aut perfregerint, bacillum tamdiu in vaginam, ne corrumpatur recondunt, donec cultrum novum & meliorem recipiant.

Quinque plus ſunt quam Septem.

PAradoxon eſt apud Arithmeticos quinque plus eſſe quam Septem, ſed effecit illud ut crederent non Arithmetici modo ſed tota Europa, Carolus QUINTUS Cæſar, quando occupata Roma Clementem Papam SEPTIMUM obſedit devicitque.

Septimus à Quinto ſuperatur Cæſare Papa;
Nonne minus ſeptem, quinque fuere magis.

Advo-

Advocatus converſus.

ADvocatus quidam magni nominis, ſed qui per fas nefasque magnas opes corraſerat, & complures ſuis fraudibus fortunis omnibus exuerat, tandem ad vitæ finem pertingens cœpit ſerio ſecum diſpicere quo tandem modo opes male partas bene collocaret, cum exitum cogitationum ſuarum nullum reperiret, adhibet in conſilium amicum, Is cœpit ſuadere, recte facturum ſi ingens Xenodochium extrui curaret, illudque amplis reditibus inſtrueret, id enim fore perfugium, viduis, pupillis, & orphanis, quos ille hactenus per omnem injuriam ad extremam inopiam contuliſſet. dictum factum. Idem hodie rectius fecerint, præfecti militum, & Quæſtores contributionum.

Quarta Luna nati.

SIgiſmundo Imperatore per flumen equitante, equus cui inſedebat, in flumen minxit. Id ex aulicis quidam conſpicatus. En eandem, inquit, equi & heri ſeſſoris indolem. Cauſſam hujus dicti exquirenti Imperatori, idem ait: ut Equus hic flumen immeiit, ubi tamen ante ſatis aquæ eſt; ſic Imperator in eos potiſſimum liberalis eſt qui ſatis habent. Non multo poſt Imperator dicti hujus memor, duas pyxides.

des ejuſdem formæ & magnitudinis, unam quidem auro, alteram plumbo implet, & illum ad ſe vocatum, utram vellet, eligere jubet. Quum infelix ille eam in qua plumbum inerat, ſumſiſſet, Imperator, Vides, inquit, non mea culpa, ſed ſiniſtro quodam tuo fato meam liberalitatem tibi nihil prodeſſe.

Faceta artificis excuſatio.

QUum Joannellus de Trezzo in opere quodam, quod Philippus II. Hiſpaniæ Rex quam primum ſibi fieri juſſerat elaborando ſegniter admodum procederet, Rex officinam (quod alias quoque ſæpe factitabat) ingreſſus, Cedo, inquit, Joannelle, ſi miniſtrum aut famulum haberes, qui quod juſſus eſſet facere, non faceret tamen: quidnam tali homini faceres? Equidem, inquit Joannellus, numerata illi mercede, quamprimum faceſſere eum jubeam, Rex quid reſponſum hoc ſibi vellet intelligens, Joannello quod debebatur, ſtatim ſolvi juſſit. Quum vero ne ſic quidem Joannellus opus maturaret, Rex ad eum rurſus veniens, Quid jam, inquit, Joannelle, ei miniſtro faceres qui accepta mercede, tamen in mora eſſet? Ego, ait Joannellus, ei jubeam, ne plus facere velit quam poſſit.

Suam quisque artem exerceat.

EPiſcopum Ebroicenſem Rex Franciæ Ludovicus VI. ad recenſendos milites Luteriam miſerat. Id equitum magiſter Chabanus ægerrime ferens, Regem adit, & provinciam reformandi Ebroicenſis Eccleſiæ Canonicos à Rege petit. Hoc, inquit Rex, munus à perſona & conditione tua alienum eſt. Tum Chabanus, qui minus inquit, mihi convenit clericos in ordinem cogere quàm Epiſcopo milites recenſere? *Ne falcem in alienam meſſem.*

Idem Rex quum Epiſcopum Carnutenſem mulo inſidentem, & frænum deauratum manu tenentem vidiſſet, Olim, ajebat, Epiſcopis aſinum aut aſinam, cum ſimplici capiſtro, ad equitandi uſum habere, ſatis erat. Id, inquit Epiſcopus, eo tempore fuit quo Reges ovium erant paſtores.

Monachis intra regularum ſuarum cancellos manendum.

MOnachus quidam (ut eſt apud eundem Fulgoſum) Benedictinæ familiæ à Pontifice ad Cardinalitiam dignitatem evectus & legati nomine in Germaniam miſſus fuerat. Hic igitur adſcitis in comitatum fratribus aliquot ejuſdem ordinis, iter ingreditur. Erat inter ceteros quidam fra-

frater laicus, ut vocant, qui tam ab ipſo Cardinali quam reliquis comitibus rogatus, & coactus fere, ut aliquid diceret, quod tam ad animi recreationem quam emendationem pertineret, quum modeſte provinciam aliquantulum deprecatus eſſet, tandem ita exorſus eſt. Ubi ex hac vita exceſſerimus (quod propediem forſan futurum eſt) & ad Paradiſi oſtium pervenerimus, S. ibi Benedictus ordinis noſtri auctor, ad deducendi in Paradiſum officium nobis occurret. Ubi vero te, Domine, ita mitratum & Cardinalitio petaſo tectum viderit, Equidem, dicet, tam habitum hunc quam faciem ignoro: quis tu es? Si è familia ipſius monachum te eſſe dixeris, ſtatim objiciet, cornua iſta monachos non decere. Tandem multa excuſantem janitori mandabit, ut humi proſternat, & ad rem certo explorandam, ſtomachum tibi aperiat: in quo olera, piſa, fabæ, & ejuſmo- cibi reperti, facile te ipſius domeſticum & regulæ ſocium fuiſſe, fidem facient: at ſi cupediarum delicatorumque ciborum reliquiæ ſeſe oſtenderint, dubium non eſt quin monachum te ſuæ familiæ fuiſſe negaturus ſtatimque abdicaturus ſit. Ecquid in his anguſtiis conſtituti reſpondebimus aut faciemus?

Memo-

Memorabilia quædam dicta.

In hoc mundo qui non patitur, non vincit. Nummus est humanæ potentiæ compendium. Veritas intellectus sivè ingenii pastus est. In hac vita omne *quid*, habet suum *Sed*.

Qui in virtutis studio parvum parvi facit, nec magnum magni faciet.

Facile ei quidquid incœperit perficere, cui pecuniæ satis est.

Principum consultationes impudicarum mulierum sunt similes, quæ quanto frequentius amantibus sese applicant, tanto minus concipiunt ac pariunt.

Qui parce laudat, vituperat.

Bonum est intra aut etiam duos pedes citra metam sese continere, sic enim citius promoveberis quam removeberis.

Satisfacere omnibus longe omnium rerum est difficillimum.

Ambitio honoratum malum est.

Æquiori animo damnum quam contumeliam plerique ferunt.

Nihil durius est aut molestius, quam si quis iis quibus nec animo nec ingenio cedat, illis ipsis in rebus quibus illi inferiores sunt, cedere cogatur.

Quæ prudentem faciant.

UT perfecte quis ea quæ mundi hujus ſunt ſciat & ſapiat, tria requiruntur. Primo ut aliquando Amaverit: ſecundo, ut dimicaverit: tertio ut in judicio litigarit. Hæc qui expertus fuerit, aut etiamnum experitur, niſi quotidie prudentior evadat, fungus ſit oportet.

Optimum litium in matrimonio remedium.

ALphonſus Arragoniæ Rex dicere ſolebat, Tum demum pleriſque moleſtiis liberum fore matrimonium, ſi maritus ſurdus, uxor cœca fiat.

Cui tempus, eidem vita ſuppetit.

MAhometus Granatæ Rex fratrem ſuum Abulum Hejex, ob tentatam ab eo ſeditionem, diu captivum detinuerat. Morti vicinus, ne idem filium regno expelleret, veritus, unum é miniſtris ad ſumendum de eo in carcere ſupplicium mittit. Is eo profectus, Abulum latrunculis ludentem invenit, & Regis expoſito mandato, ad ſupplicium ſeſe parare jubet. Abul rogans ut duas tantum horas ſupplicium differretur, quum nihil impetrare poſſet, tandem multis precibus & obſecrationibus id ſaltem impetravit, ut cœptum ludum finire ſibi liceret. Vix cœperat, quum ecce ſubitus ad-

advolat unicus, Mahometum mortuum, & in ejus locum ab universo populo Granatensi unanimi consensu Abulum Hejex Regem esse electum.

Antonius Martinus à Turcis captus, ut vitam redimeret Sultano rem admirabilem sese effecturum, nempe elephantem intra decennium humanam se docturum linguam, promisit. Mirantibus amicis, & ne plus promittendo quam præstare posset, supplicium multo acerbius sibi adsciseret, monentibus, Sinite hoc, inquit, meo modo me facere. Intra decem illos annos aut ego, aut elephas decesserit.

Vita longa unde.

Italus quidam centum & quindecim annos natus, & illa ipsa ætate mirum inmodum sanus adhuc & vegetus, à Cardinali quodam rogatus, quibus remediis vitam ad tam multos annos produxisset, respondit:

Col mangiar broccoli,
Portar à i piedi zoccoli,
In testa capello,
Pochi pensieri in cervello.

id est,

Cibum bonum manducando,
Pedes socculis velando,
Caput sedulo tegendo,
Curas omnes fugiendo.

Quis

Quis ſtultus dicendus.

CHriſtophorus Madrutius Cardinalis illud in ſermone frequenter uſurpabat; Non eum ſtultum dicendum, qui ſtulte quid faciat, ſed qui, quæ ſtulte fecerit, tacere ipſe non poſſit.

Ridiculum Epitaphium.

MAttinus Janes Barbuda Alcantarnæ militiæ in Hiſpania magiſter, ſepulchro ſuo hæc verba incidi juſſit: *Hic ſitus eſt Martinus Ianes; in cujus pectus nullus umquam metus intravit.* Hoc Epithaphium quum ad Carolum V. Imperatorem relatum eſſet, facete, Credo, inquit, Equitem hunc nunquam candelam ardentem digito attigiſſe.

An prælio confligendum.

QUum inter homines militares quidam Principis mentionem feciſſet, qui ſupremo militiæ ſuæ Duci ditionem ita tuendam commiſerat, ne in prœlium cum hoſte deſcenderet: Marchio Savornianus, Hoc, inquit, nihil aliud eſt quam poteſtatem alicui facere ut vincatur, non vero ut vincat. Quum enim victoriæ momenta ſæpe magis in occaſione quam viribus poſita ſint, qui ad prædictum modum Ducis imperium circumſcribit, quid aliud facit, quam quod

ipſum, quaſi ligatis manibus, adverſario occaſione recte utenti, ad vim ac ludibrium objicit atque exponit?

Quis optimus comes.

EJuſdem & hoc eſt: *In magnis periculis meliorem comitem haberi non poſſe, quam animum fortem & audacem.*

Quanti faciendum Ducis in bello imperium.

BElli ad Tunetum contra Turcas adminiſtrandi ſummam Carolus V. Imperator Alphonſo Vaſtio demandarat: qui quum Turcas ſigna propius inferentes conſpexiſſet, Imperatori, qui inter primos provolaverat, inquit: Quandoquidem Veſtra Majeſtas me ſummo hujus belli hodie præfecit imperio, pro eo volo ac jubeo ut hinc ad mediam aciem te recipias, ne forte unius globi ictu non victoriam tantum & omnia noſtra conſilia corrumpat, ſed etiam certam nobis omnibus perniciem afferat. Ad hæc ſubridens Imperator, Tuum quidem, inquit, imperium lubens accipio; à globo aliquo mortifero non eſt, ut mihi metuas, ſiquidem hoc teli genere nullus Imperatorum eſt exſtinctus.

Non tergum ſed frons hoſti obvertenda.

COnſalvus ille, qui *magni Capitanei* nomen meruit, quum Gallorum impetum
&

& ferociam cunctatione & quorumvis laborum tolerantia vincere decrevisset, citra flumen Guarilianum ad pagum Cinturam castris positis, exercitu continuis pluviis & fluminis eluvione vehementer vexato, quibusdam ut Capuam castra transferret suadentibus, præsertim quum hostis plerisque rebus jam superior esset, Ne hoc Deus umquam sinat, inquit, ut hostem ego fugiam. Immo jam nunc unum pedem propius hostem, sepultum me malim, quam paucos passus retrocedendo, vitam vel ad centum annos prorogare. Et hac quidem constantia hostem tandem Consalvus fregit, & Victor discessit.

In bello nihil procrastinandum.

SElimus I. Turcarum Imperator, eum sapientem esse negabat, qui rei deliberatæ exsequtionem differret: quum morâ plerumque occasiones corrumpantur, & impedimenta accumulentur. Tempus quidem acerbis fructibus maturitatem, at maturis putredinem affert.

Cum ætate fortuna mutatur.

JOannes Jacobus Mediceus Marchio Marinianus, quum in Metensi obsidione Carolum V. Imperatorem, ob exiguam bonæ successus spem, cogitabundum ac tristem

vidiſſet, Quare, inquit, ô Imperator, tantopere te affligis? An neſcis, *Fortunam malas & laſcivas mulieres imitari, quæ deſertis ſenibus, juvenibus ſeſe applicare ſolent?* Idem illis ipſis annis Joannes Andreas Doria, fruſtra tentato Algerio, expertus eſt.

Non multum ſapiendum in bello.

RAdigeri Bellagardæ E. M. illud celebratur: *In bello non valde ſapientem eſſe oportere.* Cujus dicti hæc forte ratio eſt, quod qui caute admodum procedunt, omniaque momenta diligenter excutiunt, tantas ſæpius inveniunt difficultates ut ab incæpto deſiſtant; quas ſtrenui & cordati ut plurimum vincunt.

Bella quibus modis conficiantur.

ALphonſus Rex duobus modis bella confici ajebat; Præveniendo & Divertendo: quorum illo hoſtis confunditur, hoc vero ejuſdem vires diſtrahuntur, ſi iis incommodis quæ alter a ſe divertit, objiciantur.

Qualia pleraque hodie bella.

MOnlucius Valentiæ Epiſcopus Conſtantinopoli reverſus, per Budam facto itinere, Baſſam ſive Præfectum de induciis certiorem fecit, & ut eas fideliter ſervaret, monuit. Ad hæc Baſſa, Equidem ſi me

ſi me vero cum hoſtibus bello occupatum offendiſſes, fateor nuncium hoc mihi, qui armis quidquid ſum debeo, valde ingratum futurum: at ut verum dicam, hactenus nec Romanorum Regis vicarius, nec ego, nec utriuſque noſtrum milites ullum bellum, niſi cum armentis, gregibus, & miſerorum ruſticorum fortunis geſſimus, cujus jam ſane dudum me piget ac pudet: eoque nomine multum me tibi & aliis quorum opera pax hæc conciliata eſt, debere profiteor, quod tandem latriocinio huic (ſic enim potius quam bellum nominem) tam à religione quam conditione mea plane alieno, honeſtè finem imponere licet. Verba non Turca, ſed Chriſtianiſſimo milite digna.

A Deo Victoria.

CArolus V. Imperator, diſſipatis Proteſtantium copiis, & capto Saxone, Julius Cæſar, ait, celeriter ex ſententia confecto bello, dixiſſe fertur, *Veni, Vidi, Vici*, ego vero ſic dicam: *Veni, Vidi, Deus Vicit*. Modeſtam profecto, & Chriſtiano Imperatore dignam vocem.

Homines fortunam ſequuntur.

IDem Imperator jam ſenex, regnis omnibus Philippo Filio traditis, in Hiſpaniam navigare, & quietam ibi ac quaſi monaſti-

cam agere vitam conſtituerat. Dum Fliſſingæ in Selandia commodum ventum exſpectat. Seldius ad eum venit, à Ferdinando fratre legatus. Cum eo multam in noctem producto ſermone, Imperator tandem ſignum ſuis notabat, ut ſcil. facem aliquis, dum ille digreditur, præferret. * Nemine comparente (alii enim cubitum, alii aliò conceſſerant) Imperator arrepto cereo, Seldium quamvis reluctantem, per ſcalas ipſe deducit, ac digrediens; Hoc, inquit, Seldi, olim meminiſſe te velim, eum Imperatorem qui tot ſatellitibus quondam ſtipatus, immo tot legionibus cinctus fuerat, jam ſolitarium relinqui, & à domeſticis quoque deſeri, eumque cui tot annos tu ſervieras, jam tibi ſervire ac cereum præferre. Ita nimirum comparatum eſt, *Ut plures orientem ſolem adorent quam occidentem*

Idem jam digredienti Seldio *Sentio*, inquit, *Dei manum ſuper me, cui reluctari nolo.* Potuit hic Imperator cum Ovidio dicere:

En ego non paucis quondam munitus amicis,
Dum flavit velis aura ſecunda meis,
Ut fera nimboſo tumuerunt æquora vento.
In mediis lacera nave relinquor aquis.

Caroli V. Imperatoris dicta quædam.

EJuſdem dicta quædam ſapientiſſimè ab iis qui vitam ipſius deſcripſerunt, celebran-

lebrantur: quorum præcipua hæc ſunt.

Quemadmodum Saturnus planetarum ſupremus omnium tardiſſime circumvertitur, ita Principibus convenit nihil præcipitanter aut inconſiderate agere.

Quemadmodum Sol tam egenis quam divitibus æquali modo ac menſura lumen diſpenſat, ſic Principum eſt, ſine ullo perſonarum reſpectu, ſubditorum cauſſas examinare, & æquabili juſtitiæ & clementiæ temperatione judicare.

Sicut pleraſque Solis eclipſes magnæ rerum mutationes & ſeditiones ſequuntur, ita ex Principum vitiis etiam non maximis, multa & maxima incommoda ad ſubditos redundant.

Quemadmodum idem Sol ceram liquefacit, lutum vero indurat: ſic Principum clementia & manſuetudo quoſdam meliores, quoſdam vero deteriores facit.

Quemadmodum Luna quanto ſoli eſt propior tanto minus irradiatur, ſic nonnulli quanto magis Principibus ſunt familiares, tanto minus locupletantur.

Sicut Luna res inferiores, non quod major ejus vis ſit quam Solis aut reliquorum planetarum, ſed quod à terra propius abſit, præcipue movet ac mutat: ſic tam belli quam pacis tempore multum intereſt utrum Princeps præſens ſit val abſens.

Quemadmodum fulmina quædam æs & ferrum liquefaciunt; non tamen ceram, aut mollia: sic Dei & Regis manus superbos ac feroces domat, humilibus vero & subjectis parcit.

Tantus hic, quantum pauca retro sæcula viderunt, Imperator, en quam ignobili Epitaphio, & cum symbolo ipsius *Plus ultra*, parum congruenti decoratus sit! quod quidem ut alii adscripserunt, exscribo.

Carolus Quintus hic jacet intus,
Ora pro eo bis aut ter Ave Maria & Pater noster.

Humanæ vitæ miseria.

SAladinus innumeris fere potitus victoriis, quum jam vitæ metam attigisse se animadverteret, post mortem suam, linteum hastæ impositum per universa castra circumferri jussit, Proclamante præcone: *Saladino, Syriæ, Judææ & Aegypti, &c. Regi ex omnibus victoriis, tropæis, opibus, thesauris, nihil nisi hoc reliquum mansit.*

Omnia initia tenuia.

AD Maximilianum II. Imperatorem quidam venerat, rogans ut veteres scripturas & archiva, ut vocant, domus Austriacæ inspiciendi sibi copiam facere vellet; quippe qui illius originem ab antiquissi-

quissi-

quiſſimis uſque temporibus deducere conſtituiſſet. Quæ cauſſa, inquit Imperator, ad hoc inſtitutum te impellit? Deſiderium, ait alter, Veſtræ Majeſtati & univerſæ Sereniſſimæ Auſtriacæ familiæ inſerviendi. Tum tibi, inquit Imperator, laboris hujus & ſervitii gratiam lubens facio: ſiquidem periculum eſt, ne nimis accurata illa diligentia, tandem ſutorem aut ejuſmodi aliquem familiæ noſtræ conditorem exterebres. Quo quidem reſponſo manſuetiſſimus Imperator eorum vanitatem irriſit, qui à Trojanis & neſcio quibus originem ſuam repetere volunt.

Natalium obſcuritas nemini probro eſt.

ISaac humili loco natus, ſub Bajaſete Turcarum Imperatore militari virtute ſummos honores conſequutus, tantum abeſt ut natalium obſcuritatem ſibi probro duxerit, ut etiam in atrio, ubi cauſſis audiendis operam dabat, ligonem ſuſpenſum ſemper præ oculis habuerit, eundemque filiis ſuis crebro commonſtrarit, hæc verba inculcans: Ecce prima ſtirpis veſtræ arma & inſignia, quæ quoties adſpicitis, & gentis meæ ignobilitatem cum ſumma, quo jam fungi me videtis, muneris dignitate comparatis, toties calcaria vobis addi putate, ut & ipſi veſtra virtute vos Imperatoris no-

ſtri liberalitate & beneficentia dignos exhibeatis.

Nobilitas an doctrinæ præferenda.

SIgiſmundus Imperator, Conſiliario uſus eſt Juriſconſulto quodam Georgio Fiſcello, quem & equeſtri dignitate ornavit. Is unà cum Imperatore ad Concilium Baſileenſe profectus, quum aliquamdiu dubitaſſet, utrum Doctorum ſive Juriſconſultorum, an vero Equitum collegio ſeſe aggregaret, tandem cum Nobilibus ut honoratioribus conſedit. Imperator ibi hominem conſpicatus, ô te ſtultum, inquit, qui Milites ſive nobiles Doctis præferendos cenſes! mihi quidem è gregariis militibus vel mille Nobiles & Equites uno die creare facile eſt; at vel mille annis unum Doctorem non fecero.

Par pari.

POetices Leo X. Pontifex & ipſe ſtudioſus, & liberalis fuit Mæcenas. Erat tum Romæ inter cæteros quidam Andreas Maro, qui ob exprompt am condendi carminis vel potius verſificandi facilitatem, quum ſtans pede in uno flueret lutulentus, & multos ex tempore verſus recitaret, Archipoëtæ nomen conſequutus fuerat. Is quum ad Pontificem veniſſet, ab eo invitatus

tatus, sequentem versum gloriabundus, nihil arrosis unguibus effudit:

Archipoëta facit versus pro mille poëtis.

ibi Pontifex non minus facili vena sequens Pentametrum subjunxit:

Et pro mille aliis Archipoëta bibit:

Titulorum insolentia:

VIllargeus non minus nobilis quam doctus & facetus Eques, Emanuelis Philiberti Sabaudiæ Ducis nomine apud Maximilianum II. Imperatorem Legati munere aliquamdiu cum laude functus, à Principe suo domum revocatus, Imperatorem die pluvioso & nubilo valedicendi causa accesserat. Imperator, Quæ te, inquit, necessitas tam obscuro & nubilo die iter ingredi cogit? Tum Villargeus, Nubes, inquit, istas obscuras nihil metuo, quum tam Germaniam quam Italiam Majestas Vestra multiplici Serenitate impleverit. Indicans eorum Principum multitudinem qui titulum hunc usurpant.

Alphonsi Ferrariæ Ducis Secretarius ejusdem Ducis jussu ad dominum quendam in Italia litteras scripserat. Non ignarus vero quam vane ea in re quidam curiosi sint, adeo ut si vel apex à titulo, quem ipsi sibi vindicant absit, ipsas statim litteras rejiciant & remittant, vel certe tanquam insi-

insignem injuriam sibi factam interpretentur: Ducem adit & de titulo literis inscribendo rogat, Dux, *Magnifico*, ait, inscribe. At ille: hoc inferius hominis hujus conditione aliquantum videtur. Ergo, *Illustri*. Et hoc, ait Secretarius, parum conveniens est. Tum Dux indignabundus, Quin censeo, inquit, ut ei Domini Dei titulum adscribas.

Sixtus V. Pontifex ex obscuris natalibus ad Pontificatum evectus, per jocum ex illustrissima domo originem se ducere ajebat. Eam enim in qua ipse natus sit (in Monte alto ignobili oppidulo) per mille rimas & fissuras admisso solis lumine, totam uno momento collustrari.

Facetum cujusdam factum.

REx quidam in aula sua hominem alebat, eum tantum in finem, ut si quid ridicule aut stulte factum esset, in Commentarios referret. Indicit negocium, ut Regi nuncio opus esset, qui literas quam citissime Romam perferret. Plerisque ob nimis breve tempus præstitutum, tergiversantibus, ac nihil certi promittentibus, tandem quidam prodit qui intra præfinitum tempus id facturum se recepit. Rex lætus, continuo homini mille ducatos numerari, & quam ocyus eum expediri jussit,

ea conditione ut ſi promiſſa non impleret, pecuniam omnem redderet. Factum hoc quum Commentator ille in librum ſuum retuliſſet, Rex accerſit hominem, cur ita fecerit rogat, Eam ob cauſam inquit ille, quod ut intrà tempus conſtitutum Romam quis perveniat, fieri non poteſt: tum quod mille ducati numerati ſunt, ubi centum ſatis fuiſſent. Tum Rex, ſi ille quod promiſit non preſtiterit, & pecuniam uti conventum eſt, mihi reddiderit, æquum erit ut totum hoc quod ſcripſiſti inducas, & è libro deleas. Equidem, ait alter, veſtrum hoc factum ſcriptum manebit, quoad ille pecuniam vobis reddiderit, quod ſi fecerit, inducto veſtro, ſtultum illius factum adſcribam.

Ars arte deluſa.

PAtavinam præfecturam Fabio Grimano Sereniſſimæ Venetæ Reipublicæ nomine adminiſtrante, Studioſi quidam tenebrionem pannoſum & famelicum decem ſcutatis conductum, ſubornarunt, ut dicto Præfecto è templo exeunti occurreret, eum oſculo manibus impreſſo ſalutaret, ac tandem fratrem appellaret. Hac ſalutatione & verbis nihil omnino commotus Grimanus, comiter eundem reſalutat, & ſecum in prætorium ducit: ubi intellecta totius rei

ſeric, portas urbis ſtatim obſerari jubet, & Studioſos omnes quorum conſenſus ad hanc rem intervenerat ad ſe vocat. Quum illi comparuiſſent, ſereno vultu, Ipſorum ait, comitate & diligentia ſibi hodie fratrem repertum, ſed adeo egenum & nudum, ut ad eum, uti fratre dignum ſit, ornandum, non paucis nummis opus ſit. Velle igitur, ut quandoquidem ipſi in fratre reperiendo non levem adhibuerint diligentiam, jam quoque in eo exornando pari utantur liberalitate, ac ſinguli certam pecuniæ ſummam ſtatim dependant. Excuſare illi ſe, deprecari, obſecrare denique, ut quod joco & juvenili laſcivia commiſſum eſſet, indulgeret: at ille pertendere, opus eſſe fratri veſte, ſumptu; nec prius abeundi illis copia facta eſt, quam centenos ſcutatos nudo illi ſinguli numeraſſent.

Optimum conſilium Turcam oppugnandi.

BOnonienſis quidam è plebe Vaneſio Adriani VI. Pontificis domeſtico nunciari juſſerat, habere ſe rem ſecretam ad Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem in primis pertinentem, quam Pontifici coram indicare ſtatuerat, ſi viatico juvaretur. Quid fit? Accepto viatico, Romam venit: ad Pontificem introducitur. Secretum exſpectas? Id fuit: ad evertendum Turcarum imperium,

rium, & magno terrestri exercitu, & classe quam optime instructa simul opus esse. Joco dictum hoc putabis; at profecto ea in re nemo unquam melius consilium dederit, aut secretum revelarit.

Fures non sunt defendendi.

THoma Moro in Anglia pro tribunali sedente, crumenisecæ aliquot & id genus furtifici homines producti sunt & accusati. Ibi assessorum unus, vir gravis & senex eos qui reos illos accusabant graviter reprehendit, quod in custodiendis crumenis & aliis suis rebus tam negligentes fuissent; atque ita furto occasionem ipsi præbuissent. Hujus importunitate offensus tum Morus, judices dimisit. sequenti vero nocte unum ex furibus illis ad se adduci jussit & quid fieri vellet, commonstravit, impunitate, si id fecisset, promissa. Sequenti die Morus iterum pro tribunali sedens, primum eum quocum ante egerat, produci jubet. Multorum furtorum accusatus, facilem ait sibi fore purgationem, modo vel ipse Judex, vel Assessorum aliquis secretò aures sibi præbere vellet, revelaturum enim aliquid quod ipsorum omnium interesset. Tum Morus unum ex Assessoribus eligendi potestatem fecit, ille vero seni illi hesterno suo Advocato, rem omnem aper-

turum ſe dixit. Sic igitur cum illo ſeorſum abſcedens, auri neſcio quid inſuſurrat, interim vero marſupium ejus quærit, & inventum aufert. Illo jam ad ſubſellium reverſo, Morus hominem in carcere attineri ait, qui fame periret: ei rogare uti Aſſeſſores parva ſtipe ſubveniant. Sic igitur ſingulis manum ad crumenam admoventibus, ſenex quoque ille marſupium ſuum quærit eoque non invento, vehementer commotus, rem indignam exclamat, crumenam ſibi neſcio quomodo periiſſe, & eo ipſo in loco ubi jus dicitur, furto ereptam. Tandem Morus rem omnem ei exponit, monens ne poſthac tam acerbe reprehenderet eos quibus tale aliquid contingeret? neve furum & crumeniſecarum ſuſciperet patrocinium.

Et ſtulti ſapiens ſæpe verbum.

FRanciſco I. Franciæ Rege (aliis etiam idem adſcribi non neſcio) ad Italicam expeditionem ſeſe accingente, inter Duces & conſiliarios diu diſceptatum fuit, quænam potiſſimum via eſſet iugredienda. Id deliberari audiens quidam Amaril nomine, quo Rex pro morione utebatur, Mihi, ait, ô Rex, conſilia hæc veſtra minime placent. Cur ita? Rex inquit. Eo, reſpondit ille, quod omnes conſultant quomodo Italiam

liam ingredi; at nemo quomodo rursum inde egredi queamus. Periculum ergo est ne manendum ibi nobis sit. Si verum hoc est, augurium sane fuit, Rege eo in bello ad Ticinum capto. Nimirum *non olitores tantum, sed & stulti sæpe opportuna loquuntur.*

Quantum prosit sæpe argutum commentum.

APud Pervanos moris est, ut defuncto principe, è ministris quidam tanquam comites addantur; qui scilicet in altero illo Mundo eidem serviant & consueta exhibeant ministeria. Lusitanus quidam, altero oculo orbatus, & à barbaris captus, hero suo aliquamdiu diligenter ministraverat: quo mortuo, summo erat in periculo, ne eum comitari cogeretur, quod tamen arguto commento discussit & evasit. Ajebat, eos qui in altero illo Mundo sunt, ubi herum suum viderint tam deformi ministerio comitatum, minus honorifice de eo ejusque statu & conditione sensuros: melius ergo fore si ministrum ei addant omnibus membris integrum. Quæ ratio quum barbaris justa videretur, alia veluti succidanea hostia defuncto data fuit. *Ita & damnum sæpe prodest.*

Non facile fidendum.

QUum nescio quis Laurentio Medicæo dixisset, Hieronymum Riarium Comitem

mitem Imolam Regi, Regem vero eidem Ducatum in regno suo dare constituisse, Videat ille, inquit, ne falsum Ducatum accipiat.

Eadem argutia Bartholomæus Colionus Venetæ militiæ Præfectus adversus Franciscum Sfortiam usus est, Quum enim hic misso Simonetta eum ut ad se redire vellet, invitasset, Colionus vero quietam deinceps vitam agere sibi constitutum dixisset: Simonetta, At scisne-tu, inquit, quid herus meus dicturus sit? Te nimirum magnum esse & fortem hominem, at qui millenis aliquot Ducatis vinci se passus sit. Dicat ille, inquit, quod vult. hoc si dixerit, tu ei meo nomine dicas, multo turpius fecisse, qui non millenis aliquot, sed uno Ducatu vinci se passus sit. Allusit ad Ducatum Mediolanensem, cui inhians Sfortia, ad defensionem ejus adscitus, medio bello contra eos quos tuendos susceperat, arma convertit. *Si dices quæ vis, audies quæ non vis.*

A sacris manus abstinendæ.

CAmeracum negocii cujusdam caussa Marusinum hominem militarem Ludovicus XI. Franciæ Rex ablegarat. Quum inde Marusinus insigni torque aureo, qui ex sacro auro Ecclesiæ Cameracensis reli-

quiis detracto confectus dicebatur, donatus revertisset, & quidam Marusini sodalis ejus inspiciundi gratia manus admoveret, Rex, Cave, inquit, attingas: res enim sacra est.

Idem Bennienfis monasterii Abbatem rogaverat: ut Abbatia sua cederet. At ille, Quadraginta, inquit, annos primis duobus Alphabeti litteris A.B. (Galli enim sua lingua *Abbé* Abbatem dicunt) discendis insumsi, quæso ut duabus sequentibus, nimirum C,D. (*Cede*) discendis, totidem annos mihi concedere velis.

Nimia familiaritas Principi indecora.

FRidericus Urbini Comes tam carus erat subditis suis, ut quacumque iter faceret, ab effusa undique utriusque sexus & omnis ætatis multitudine, cum plausu & lætitia exciperetur: quam quidem ille benevolentiam singulari ac pœne indecora Principi comitate alebat, non modo neminem à colloquio suo excludens, verum etiam ultro obvios compellans, & pileum quasi continuo manu tenens. Hinc Octavianus Ubaldinus, Comiti familiaritate & necessitudine conjunctus, si quando hominem valde negotiosum & festinantem conspiceret, eum Comitis Friderici pileo occupatiorem esse dicebat. *Nimia familiaritas parit contemptum.*

Vis juvenum, consilia senum.

LUdovico XII. de bello Venetis inferendo deliberanti, quidam negocii difficultatem proponens dixerat, Rempublicam illam à multis prudentissimis Senatoribus administrari, eoque non facile contra eos bellum suscipiendum. Ludovicus, Habeant illi, inquit, senes suos prudentes, ego vero tot stultos adolescentes cum illis committam, ut parum in sapientia sua præsidii sint habituri.

Libere dictum libere acceptum.

FLorentiæ civis fuit, opulentus quidem, sed in victu, Vestitu & omnibus rebus perparcus. In eum quum Cosmus Mediceus aliquando incidisset, & quod tam parce ac pæne sordide viveret, reprehendisset, rogans, Quem in usum tantas opes congereret; si uti iis nollet? Ille mordaciter, Eò, inquit, ut quando tributum à Vestra Excellentia imperatum fuerit, habeam unde id solvam. Hujus dicti libertate nequaquam offensus est Cosmus, sed quod tributum aliquando civibus imperaret, id non nisi summa necessitate se coactum facere excusavit.

Liberalitas hoc tempore inusitata.

EObani Hessi cum magnum fuit ingenium, tum insignis in Poëtica arte facultas. Ei aliquando Nobilis Gualterus nomine, duos boves promisit, si dum equum ipse ascenderet, versum ex tempore componeret. Tum Eobanus sine ulla mora in ipso vestigio versum hunc protulit:

Ascendat Gualter, veniat bos unus & alter: atque non multo post promissos sibi boves accepit.

Facilis Principibus est excusatio.

IN Italia Princeps domino sive Toparchæ vicino magnam ditionis partem eripuerat: hocque suum factum circummissis undique ad reliquos Principes litteris, & processu contra miserum illum formato, excusaverat. Quum inter alios idem ad Ferdinandum Mediceum magnum Hetruriæ Ducem eo nomine legatum cum litteris misisset: Dux legatum per dies aliquot honorifice tractavit, ac tandem cum litteris dimisit, in quibus nihil præter verba, ut inter Principes moris est, benevolentiæ & officii plena, perscriptum erat: iisdem vero litteris adjunctus erat contra Legatum illum processus, ut vocant, quo is homicidii Florentiæ commissi arguebatur.

Voca-

Vocatus hic ad Principem, inſpecta ſcriptura, teſtimoniis & quæ eo pertinent, primum admiratione obſtupuit, mox per omnia ſacra pejeravit, falſo ſe ejus criminis inſimulari, immo nihil tale unquam ſibi in mentem veniſſe. Tum Princeps de Legati innocentia nihil dubitans, ſtatim Ferdinando reſcripſit, mirum ſibi videri inquiens, quod miniſtrum ſuum tam enormis, ſed conficti criminis, inſimulare non dubitaret. Ad hæc Ferdinandus ita reſpondit: *Facile eſſe cuivis Principi ſuo imperio, quemcumque, etiam bonum & innocentem, non accuſare ſolum, ſed etiam condemnare.*

Non impediendum Judicis officium.

JAcobo Caviceo Ferrarienſi Eques quidam magnæ auctoritatis obſtitit, quo minus libere exercere munus ſuum in re quadam poſſet. Caviceus palatium, ac deinde Principis cubiculum ingreſſus, etſi Principem cum multis aliis adſtantibus præſentem videret, nihilominus ubi Princeps eſſet, quæſiit. Tum Hercules, Non ego ſum Princeps? Non pol, inquit Caviceus, ſed is arbitror, qui juſtitiam & juriſdictionem impedire poteſt, Princeps eſt. Subriſit Dux, ac ſtatim ne quis ullum ei impedimentum in munere ſuo exercendo adferret, edicit.

Idem duobus de re nihili litigantibus, ad circumstantes, Numquid horum alter inquit, hircum mulgere, alter cribrum supponere videtur?

Quærenti cuidam, pluresne vivi essent an mortui; Vivi, inquit, mortui enim non sunt.

Alteri de rebus invisibilibus multa blateranti, Dic mihi, inquit, quid illud sit quod non videt? & si videat, non amplius futurum sit. Illo hærente, Cœcus est, at qualis tu es, qui non videt: ac si videret, non amplius cœcus futurus sit. Sic tu si mores tuos pervideres teque ipsum nosceres, sine dubio operam daturus esses, ut quasi in alium hominem te transformares.

Cuidam artem suam jactanti, & in ea se Primum & quasi Solum esse dicenti, Tu, inquit, si primus sis, solus esse non potes: sin solus, jam non es primus.

Amamus etiam loca, ob beneficium.

LAdislaüs Rex Neapolis, amisso regno Cajetam se recipit, ibique communi civium sumptu aliquandiu fuit sustentatus. Recuperato deinde regno, idem Cajetanos tanto amore & benevolentia prosequebatur ut nemini qui ab ipso aliquid peteret, quidquam negaret. Hinc agasonis cujusdam jocus, Felicem asinum suum fore dicentis,

centis, ſi Cajetæ natus fuiſſet, ſiquidem Rex vel oppidi vel arcis præfecturam ei ſit demandaturus.

Periculum reſponſo diſcuſſum.

RIxa inter Gabrielem Zapatam & alium nobilem inter ludendum orta, alter ſequenti mane Zapatam ad duellum provocavit, utque ad ſextam horam conſtituto loco præſto eſſet, nunciari ei juſſit. Quid, inquit Zapata, hoc rei ſit? Dic ei qui te miſit, me more meo ante undecimam rarò è lecto ſurgere: inde cogita, an tam mature nidum relinquere velim, ut corpus & membra mihi mutilari ſinam? Sicque ira in riſum vertit.

Duellum alio modo vitatum.

GAllus Genuatem, quod in familiæ ſuæ, ut dicebat, injuriam, eadem inſignia uſurparet, ad duellum provocavit: nec detrectavit Genuenſis, ſed ad condictum locum venit: deinde Gallum rogans quid illud eſſet quod in clypeo oſtentaret? quum Gallus bovis caput dixiſſet. Nihil, inquit, opus eſt ut armis dimicemus. Mea enim inſignia non bovis, ſed vaccæ caput præferunt.

Quæ ab amicis petenda.

PUblius Rutilius ab amico ut in re parum honesta adjuvare se vellet rogatus, statim id facturum se negavit. Illo dicente, quid ergo tua mihi opus est amicitia, si amici officium mihi præstare nolis? Immo, inquit Rutilius, quid tua mihi opus est, si meis moribus parum digna à me petere velis? *Amicus usque ad aras:* à quo *Honesta tantum petenda.*

Stultorum plena sunt omnia.

JUlius Neapolitanus ministrum habuit, quem ob ingenii tarditatem Stultorum regem appellare solebat. Hic iratus regerit aliquando hero, Utinam, inquit, quem me dicis, Stultorum rex essem! Scio equidem totius orbis Monarchas me potentia longe superaturum. Immo tu ipse inter subditos meos non postremus futurus sis.

Reus argute defensus.

IN capitis judicio Advocatus quidam reo datus judices rogaverat, Anne bonum illum hominem sibi defendere per ipsos liceret. Annuentibus illis, ad regium Procuratorem conversus idem rogat. Quo & ipso assentiente, Facere profecto aliter non potestis, inquit, quin hominem hunc absolvatis, utpote quem bonum esse, ipsi ultro con-

fessi estis. Atqui boni in furcam ut agantur, minime permittendum est.

Qui totum habere cupit, totum sæpe perdit.

BOnam argenti summam quis certo loco in terram defoderat, nemine conscio: præterquam vicino quodam, intima familiaritate ipsi conjuncto, qui fidem non servans, noctu thesaurum effossum secum asportavit. Alter ille spoliatum se videns, illumque ipsum, uti erat, furti auctorem esse suspicatus, nullo tristitiæ signo ostenso, sed vultu ad hilaritatem composito, vicinum adit, inquiens, Fortunam quotidie sibi magis magisque esse propitiam, utpote quæ novas sibi divitias objecerit: eoque se statuisse sequenti nocte illo ipso in loco ubi ante thesaurum defoderat, alteros mille ducatos recondere. Vicinus tamquam vulturius prædæ huic omni inhians, quamprimum ad locum illum proficiscitur, & thesaurum ablatum reponit, postridie unà cum alteris illis mille ducatis, & cum omni pulvisculo, ut ita dicam, conversurus & ablaturus. At ille argentum illud prius secum domum asportavit; atque ita vulturium hunc vicinum suum lepide delusit.

Judicia muneribus corrupta.

JUdex quidam à litigante cadum oleo plenum dono acceperat, paulò post adversarius ejus eidem judici porcum præpinguem dono mittit. Lata contra priorem sententia, quum ille judicem tanquam ingratum & promissi parum memorem accusaret, judex, Ne, inquit, id mirum tibi videatur. In meas enim ædes porcus irrupit, qui everso cado, oleum mihi omne perdidit: ex quo factum est, ut doni tui plane fuerim oblitus, Ita hic vere *oleum*, quod dicitur, *perdidit.*

Cosmi Medicæi ingenium.

COsmi Medicæi, ejus qui primus familiam suam ad pæne regium fastigium extulit, ut multa prudenter atque etiam astute facta, ita multa quoque sapienter & argute dicta celebrantur. Ei quum proscriptus quidam sive exsul Florentinus nunciari jussisset, Gallinam jam ovis incubare, consilia innuens quæ contra Cosmum à se & aliis cuderentur: Atqui, inquit Cosmus, extra nidum pullos illa non facile excluserit.

Aliis nequaquam se dormire significantibus. Facile, inquit, hoc credidero, quippe, quib s somnum ego & quietem jam dudum interpellavi.

Ejuſdem & hoc eſt, Imperia Paternoſtris non adminiſtrari.

Quum morti vicinus oculos fere aſſidue clauſos teneret, uxori cauſſam roganti, Ideo ſe facere dixit, ut quod poſt hoc ſemper faciendum eſſet, illud jam facere conſueſceret.

Mendacium quod & in quibus ferendum.

PLato omne mendacium deteſtandum, in Medico tamen aliquo modo ferendum dicebat. Notum eſt illud:

Quod medicorum eſt,
Promittunt medici.

Æneas tamen Sylvius, qui poſtea Pontifex Pius II. nomine fuit, jam morti vicinus, medicis ſemper meliora promittentibus, *Hæc etiam*, inquit, *Principibus miſeria eſt, ut ne in morte quidem aſſentatoribus careant.*

Paci quæ maxime infeſta.

PEtrarcha dicere ſolebat, Pacis hoſtes quinque infeſtiſſimos apud nos habitare, Avaritiam nempe, Invidiam, Iram, Ambitionem, & Faſtum ſive Superbiam, quibus tanquam ſeditioſis civibus è civitate ejectis, ſine ulla interpellatione Pax perpetua Mundo futura ſit.

Hono-

Honores mutant mores.

BEnedictus Albizius tam nobilitate quam doctrina juvenis clarissimus, amicum Cardinalitia nuper dignitate ornatum gratulationis ergo accesserat. Quum vero superbus ille homo Albizium se non agnoscere simularet, Albizius pro gratulatione talem orationem exorsus est. Pro amicitia quæ olim inter nos fuit, huc veni ut de fortunâ tua quæ ad tantum te honorem evexit, condolerem potius quam congratularer. Video enim quamprimum vestrum aliquis ad tam altum locum ascendit, malam quandam fortunam & visum, & auditum, & omnes fere sensus vobis eripere, sic ut non tantum pristinos amicos, verum etiam vos ipsos agnoscere nequeatis.

Sumptus male collocati.

FLorentino quodam se venditante quod multa scutatorum millia litteris discendis consumpsisset, Alphonsus Pazzius, Si inquit, aliquem reperias qui centum tibi pro eo quod didicisti reddere velit, sine omni cunctatione argentum accipito: innuens, doctrinam sumptibus minime respondere.

Paupertas secura est.

NObilis quidam Placentinus, consumptis fere omnibus fortunis, in magna

paupertate vitam ſuſtentabat. Is noctu fures quoſdam in domo ſua comprehendens, Quid vos, inquit, ſtulti homines hic noctu aliquid inventuros putatis, ubi ego interdiu nihil invenire poſſum?

Amoris remedium.

PAupertatem optimum eſſe Amoris remedium quidam dixit; aut certe Tempus. De vi quidem amoris Virgilius:

Omnia vincit amor, &c.

Quam quidem Merlinus Cocayus facete, ut omnia, his verſibus deſcribit:

Heu quia troppus amor ſavios matteſcere cogit.
Et quis erit tantus qui hunc prendere poſſit aſellum?
Cui paniæ nullæ, cui trappola nulla repugnat.
Cæſar erat tam bravus homo, qui ſubdidit orbem.
At mulier ſcanſarda illum ſubjecit amori.
Alcides validis qui ſpallis more pilaſtri
Caſcatura ſuſum tenuit ſolaria cœli.
Femineam ſoccam, rejecta pelle leonis,
Induit, & mazzam poſuit, fuſumque piavit,
Fortem Samſonem qui ungui ſpaceare ſolebat.
Dentatos porcos, tigres magnoſque leones;

Tandem

Tandem imbriagum vilis putanella tosavit.

Jocus circa titulum.

GUilielmus Mantuæ Dux facetiis & jocis multum delectabatur. Is ad ædes D. Benedicti aliquando stans, forte fortuna clericum vidit, equo prætervehentem: ad quem statim uno è ministris ablegato, utrum clericus esset, exquiri jussit. Tum clericus ad ministrum, Dicas, inquit, *Illustrissimæ* suæ Dominationi me esse. Dux audiens, Propere ait, rursus hominem roga, quis sit, unde veniat, & an nesciat quis titulus mihi tribui soleat & debeat. Ibi clericus, Dicas *multum Illustri* suæ Dominationi, me Curatum esse sive parochum Guastellanum. Tum Dux, Abi iterum, & cur *Altitudinis* titulum (*Altezza* Itali, *Altesse* Gallis) mihi non tribuat, roga. Respondit clericus: Dic *Suæ Dominationi* me in libris meis legere, *Tu solus Dominus, tu solus Altissimus.* Tum Dux ridens, Abeat in malam rem, cum omnibus suis titulis.

Malum Caput.

AD Urbanum V. Pontificem legatus nescio cujus in Romana ditione oppidi introductus, tanta pervicacia res quasdam postulabat, ut Pontifex tandem in hæc ver-

ba eruperit: *Malum profecto habetis caput*, quod Italica & noſtrati etiam lingua in homines cerebroſos & iracundos dici ſolet, Tum legatus, *Fateor*, inquit: *& ſane ſi melius haberemus caput, melius aliquanto nobiſcum ageretur.*

Garrulitas odioſa.

AD eundem Avinione (quo tunc Pontifices ſedem tranſtulerant) ægrum decumbentem, tres legati Peruſiani venerant. Admiſſi, quam fieri poſſet, pauciſſimis verbis mandata exponere jubentur. Tum eorum unus qui meditatus venerat, ne labor ſuus, credo, periret, longam admodum orationem exorſus, quamvis Pontificis aures & animum vehementer defatigatum animadverteret, ad finem nihilominus perduxit. Poſtquam peroraſſet, Pontifex an quid aliud in mandatis haberent, rogat. Ibi alter, qui Pontificis faſtidium diligenter notaverat, Sanctiſſime Pater, inquit, mandatum nobis eſt, ut niſi quamprimum quale volumus reſponſum accipiamus, collega hic meus longe prolixiori oratione priora illa repetat. Audiens hoc Pontifex legatos quamprimum dato reſponſo dimiſit.

Imaginarii ſupplicii irriſio.

IDem Rudolphus cum Florentinis capitales inimicitias exercebat. Quare irati Floren-

Florentini quum ipſum nanciſci non poſſent, effigiem ejus tanquam latronis, publico loco ſuſpenderunt. Paullò poſt nihilominus iidem belli calamitatum pertæſi, legatos ad Rudolphum de pace vel induciis faciendis miſerunt. Rudolphus qua hora legatos venturos ſciebat, luculentum focum, quamvis, utpote Auguſto menſe, maximus eſſet æſtus, & prope eum lectum ſibi inſtrui, atque in eo multa ſtragula veſte & pellibus, ſe contegi juſſit. Ad lectum introductis legatis, & de morbo percunctantibus Rudolphus ait, Mirum in modum ſe algere, ut qui tanto tempore jam noctu atque interdiu in ipſorum mœnibus nudus pendeat, Florentini irrideri ſe animadvertentes, ſtatim illam Rudolphi effigiem patibulo detrahi juſſerunt.

Irriſio in auctorem.

QUeraldus Petri Aragoniæ Regis conſiliarius ad Feſſarum Regem legatus ab eodem ad convivium invitatus fuit. Juſſerat vero Rex Feſſanus ſuis, ut eum in locum ubi legatus ſedebat, ad pedes ejus oſſa carnibus nudata abjicerent. Finito prandio ſubornatus quidam, amota menſa & oſſium commonſtrato acervo, Quiſnam lupus, inquit, hoc in loco ſedit? Tum Queraldus ad Regem converſus. Equidem,

ait, ô Rex, me lupis assedisse jam video, quippe qui carnes & ossa simul deglutierint: at ego, ut hominem & hospitem decebat, carnes quidem comedi, at ossa caninibus rodenda reliqui.

Paulò impudentius, Cynico tamen non valde indignum est illud Diogenis factum: cui quum convivantes quidam ossa, tanquam cani (professionem Cynicæ Philòsophiæ irridentes) objecissent, ille accedens, eos comminxit, & hoc canum esse dictitans.

Quæ facta, facilia factu videntur.

IN convivio quodam, præsente Christophoro Columbo, eo qui primus Novum Orbem nobis detexit atque aperuit, Hispani quidam Equites, peregrino, credo (Ligur enim Columbus fuerat) tantam laudem invidentes, nihil singulare ab eo præstitum dixere, &, quod non quivis, rebus ad hoc necessariis instructus, præstare potuisset. Subridens Columbus, ovum é patina sumit, & deposito, inquit, pignore, vobiscum certare ausim, neminem inter vos esse, qui ovum hoc ut sine ullo fulcimento rectum stet, efficere possit. Frustra ab omnibus facto periculo, idem ovi mucronem leniter mensæ impingit, eoque subsidente, ovum rectum statuit: hacque ratione omnes pisce

magis mutos in ruborem dedit. Ῥᾷον μωμεῖσθαι ἢ μιμεῖσθαι. *Facilius eſt carpere, quam imitari.*

Miniſtri magiſtri.

MErcurius Cattinara, magnus Caroli V. Imperatoris Cancellarius, nec precibus nec ullo certæ indignationis metu induci potuit, uti transactioni inter Dominum ſuum & Franciæ Regem ſubſcriberet; auctoritate ab Imperatore ſibi conceſſa, minime ad res eidem damnoſas abuſurum ſe dicens.

Eadem & magis juſta conſtantia Antonius Pratenſis, magnus Franciæ Cancellarius, fœderis inter Regem ſuum & Solimanum Turcarum Imperatorem inita capita, manus ſuæ ſubſcriptione confirmare recuſavit, quod totum hoc negocium & ad Regis & ad univerſæ Reipublicæ Chriſtianæ ignominiam & damnum pertineret, judicaret. *Ita*, ſcilicet, *Regi inſerviendum, ut ne Regno noceas.*

Quis optimus miniſtrorum Advocatus.

JOviano Pontano Ferdinandus Neapolis Rex, Alphonſo Calabriæ Duce, Regis filio, multum diſſuadente, munus aliquod arduum demandarat, & non minus invitum, ut illud ſuſciperet, tandem perpulit.

Tum Pontanus, Munus, inquit, ô Rex, quandoquidem ita omnino vis, non detrecto; id tamen ita geſturum me profiteor, ut nec tuam indignationem, nec adverſus filium indulgentiam valde ſim reformidaturus: ſiquidem contra utrumque, & quaſvis obtrectationes optimum Advocatum mihi adducam. Sermonis inſolentiam miratus Rex, Quiſnam ille Advocatus eſſet, quærit. Paupertas, ô Rex, Pontanus inquit. Et ſane in magiſtratu incorrupti animi & puræ manus non leve argumentum eſt inopia, & contra quoſvis calumniæ ictus ſcutum optimum: contra vix video quomodo ii qui in officiis conſtituti, parvo temporis ſpacio (quales multi paſſim ſunt) ingentes divitias congerunt, à rapinæ, vel ut levius dicam, δωροδοκίας crimine ſeſe vindicare poſſint.

Vir officio, non officium viro quærendum.

ALexander Severus Imperator non ultro ambientes, ſed invitos & reluctantes publicis officiis præficere ſolebat, tantum abeſt, ut quod hodie peſſimo more nonnullis in locis uſitatur, plus offerenti vendiderit. Ajebat enim, nihil mirum ſi qui munus aliquod emerint, idem rurſus vendant, id eſt, venalem Juſtitiam habeant. Notus eſt ille verſiculus,

Emerat

Emerat ipse prius, vendere jure potest.

Munerum acceptores & impostores quomodo puniendi.

IDem Vetronium Turrium operam suam acceptis muneribus iis qui à Cæsare aliquid petere volebant, large promittentem, sed plerosque inani spe decipientem, palo alligatum fumo necari jussit, cum elogio: *Fumo punitur qui fumos vendidit.*

Severum hoc, illud Gallieni Imperatoris ridiculum, qui Mangonem, ab uxore accusatum quod vitreos ei globulos pro gemmis vendidisset, in arenam includi jussit, ut cum bæstiis, sicut videbatur, committeretur. Jam tam ab ipso damnato quam omnibus spectatoribus horribilis aliquis leo aut aliud ferum animal exspectabatur; quum ecce cavea emissus gallus gallinaceus prodit. Omnibus non sine admiratione in risum effusis, præco Imperatoris jussu proclamat: *Imposturam fecit, & passus est.*

Faceta homicidii, fortuito casu commissi vindicandi ratio.

E Præcelsa domo faber decidens prætereuntem casu suo exanimaverat, & sic alterius morte vitam servarat. Eum mox in judicium vocant mortui illius agnati,

homicidii accuſant, & damnari petunt. Utriuſque cauſam magna contentione agentibus, judices tandem ejuſmodi pronunciarunt ſententiam : ut nimirum agnatorum aliquis in eum, unde ille delapſus erat, locum aſcenderet, ſeque ſimili ſaltu in reum infra ſtantem præcipitaret. At nemine conditionem hanc accipiente, ille abſolutus eſt, *Culpam præſtare, non caſum, homo debet.*

Lites reſecandæ.

RUdolpho Habſpurgenſi Comiti, qui primus Imperialem dignitatem in Auſtriacam familiam intulit, cum Abbate Sangalenſis Cœnobii valde tum potente, & aliis vicinis lis intercedebat. Captato prandii tempore, Comes Abbatem accedit, & ultroneum ſe convivam exhibet, magna cum omnium admiratione. Sublatis menſis, cum Abbate aliquamdiu collocutus, tandem pacem facit, ac diſcedens, ſuis, *Cui tres*, inquit, *lites, meo judicio recte fecerit, ſi duabus compoſitis, tertiam tanto diligentius proſequatur.* Hoc conſilium eidem utile fuiſſe eventus docuit : ut cui poſtea prædictus Abbas bonam adverſos hoſtes operam navarit.

Sententiarum amputanda diversitas.

IN Italiam ad Insubriam occupandam profecturus Franciscus I. Franciæ Rex, quum consilium hoc suum multis displicere non ignoraret, Ego, inquit ad Senatores, in Italiam ire planissime constitutum habeo. Quicunque vero ab hoc proposito retrahere me ausus fuerit, non solum frustra erit, sed etiam malam à me gratiam inibit. Et hoc quidem uno ictu Rex dubia omnia & sententiarum varietatem tamquam Gordium nodum solvit, & ad expeditionem se quamprimum accinxit. *Mature deliberandum, sed deliberata cito exsequenda.*

Camillus Ursinus, nobilis militiæ dux, Nihil ajebat in bello rebus feliciter gerendis magis adversari quam tarditatem, sive cunctationem: quam barbaro quidem, apto tamen vocabulo, Irresolutionem dicunt.

Idem nihil minus consultum sibi videri dixit, quam ut res hodie deliberata, in sequentem diem differatur: quod interim multa accidere possint, quæ, utpote improvisa, omnem rei gerendæ ordinem pervertant.

Negocia quomodo tractanda.

PEriphanus Ribeira Alcalæ Dux dicere solebat, Negocia difficilia tamquam facilia;

lia; & è contra facilia tamquam difficilia tractanda esse: quo scilicet nec facilitas negligentiam, nec difficultas desperationem adducat.

Humanæ sapientiæ modus.

DIvina Julii Cæsaris Scaligeri, viri incomparabilis, vox est: *Sapientis est: quædam nescire velle.*

Quinam optimi Consiliarii.

ALphonsus Aragoniæ Rex, quinam optimi essent Consiliarii, rogatus, Mortuos respondit, libros scilicet innuens; ut qui sine ullo affectu verum promunt.

Idem, si stante Romanorum Republica, nasci sibi contigisset, ante Curiam Jovi Positorio templum se ædificaturum dixit, ut in eo Patres Conscripti, antequam in Senatum venirent, odium, amorem & similes affectus deponerent.

Fridericus Imperator, convocatis aliquando Senatoribus, Utinam, inquit, mei Consiliarii duas res secum in Palatium ne adferrent, ut & illi bene consulere, & tanto ego facilius bona consilia à malis discernere possim. Rogatus quænam duæ illæ res essent, Simulationem & Dissimulationem esse, respondit.

Sigismundus Imperator tum demum Prin-

Principes in hac terra beate victuros dixit, si procul habitis superbis & crudelibus Consiliariis, mitibus & mansuetis morigeros se præbeant.

Franciscus Almeida nihil sceleratius sibi videri ait, quam eos Consiliarios qui non ex animi sententia loquerentur: quippe qui & contra Deum & contra Principem gravissime peccent. Contra Deum quidem, quod conscientiæ à Deo sibi datæ refragarentur, quod quidem *peccatum in Spiritum sanctum* dici possit: contra Principem vero, quod hac dissimulatione vel simulatione sæpius res ejus in extremum discrimen, atque etiam exitium adducerent.

Quanta vero officii hujus dignitas sit, idem inde ostendit, quod Principes ad consilium paucos, eosque lectos & probatos admittant; à prælio vero neminem rejiciant aut excludant.

Superbia, stultitiæ index.

EQues quidam Mediolanensis, certis de caußis ad Florentinam Rempublicam legati nomine missus, catenam collo appensam, subinde mutabat sive variabat. Hanc ostentationem irridens Nicolaus Nicolinus, homo non minus nobilis, quam facetus, Alius, inquit, stultis vinciendis una catena sufficit; huic vix plures satis sunt.

Vestitus necessitati, non superbiæ serviat.

HEnricus II. Imperator cognomento Claudus, si quando hominem adspiceret vestitu superbientem, Te, inquit, vermes, vestimenta vero tua tineæ comedunt.

Rudolphus Habspurgensis Comes tam omnis in vestibus ornatûs erat negligens, ut laceras etiam non abjiceret, sed resartas in publico gestare non erubesceret.

Solon à Crœso superbissime amicto, & regio throno insidente rogatus, An similem ornatum umquam vidisset: Immo, inquit, ô Rex, Pavonum enim, & psittacorum, utpote nativus, multò mihi pulcrior videtur.

Augustus Imperator filiarum in vestitu luxum acriter sæpe reprehendere solebat, inquiens: *Vestitum mollem ac insignem, superbiæ esse vexillum, nidumque luxuriæ.*

Præclare Bernardus: *Cur carnem tuam,* inquit, *preciosis rebus impinguas & adornas, quam post paucos dies vermes in sepulcro sunt devoraturi? & animam tuam bonis fidei operibus non adornas, quæ Deo & Angelis ejus præsentanda est in judicio? Cur animam tuam vilipendis, & ei carnem præponis? Dominam ancillari, & ancillam dominare, magna equidem abusio est.*

Quam-

Quamvis autem omnes homines vana ſuperbi veſtitûs oſtentatio dedeceat; viros tamen & juvenes maxime. Unde Ovidius:

Sint procul à nobis juvenes ut fœmina culti.

Mulieres vero illud Plauti in animo habeant:

Mulier nequicquam exornata eſt bene, ſi morata eſt male.

Quibuſnam Principes potiſſimum fidere debeant.

HEnricus Caſtiliæ Rex, cognomento nothus, Cruento admodum contra Petrum Regem bello geſto, & morti vicinus, filio ſucceſſori per Epiſcopum mandaſſe dicitur? In regno tria hominum eſſe genera, quorum hi ſuam, illi Petri Regis, tertii vero neutram partem aut factionem ſequuti ſunt. Primis quidem velle ut dona & quidquid à ſe collatum, ratum eſſe jubeat, nec tamen plane ipſis fidat: ſecundos monere ut quibus poſſet rationibus, ſibi adjungat, eorumque conſiliis & opera utatur, quam enim adverſario conſtantiam, eandem ſibi præſtituros, & ad priorem offenſam officio, fide & diligentia delendam ſedulo incubituros. Tertiis vero, in rebus ad imperium pertinentibus nihilum quidem accredat: ut qui publicum ſervitium privatis commodis ſemper ſint poſt-

poſi-

posituri. Tanto hoc præceptum est admirabilius, quanto longius à communi hominum opinione & sensu discedit.

Neutralitas, ut vocant, damnosa.

DE Senensibus, qui bello quodam, dum neutram partem sequi vellent, utrique prædæ fuerant, Alphonsus Neapolis Rex dixisse fertur, Idem eis accidere, quod iis qui in media ædium parte habitant, ut quibus inferiores fumo, superiores urinâ molesti sunt.

Maledici contemnendi.

FRidericus III. Imperator quum accepisset multos passim esse, qui male de ipso loquerentur, Quid vos nescitis, ait, Principum actiones tamquam scopum, venenatis linguarum telis esse propositas? Nobis quidem, qui omnibus satisfacere non possimus.

Hic murus aheneus esto,
Nil conscire sibi, nullâ pallescere culpâ.

Simili animi magnitudine Franciscus I. Franciæ Rex, quum ob grave tributum subditis impositum, multorum voculis palam proscindi se audivisset, quibusdam ad læsæ hoc Majestatis crimen pertinere & acerrime vindicandum dicentibus, Sinite illos, inquit subridens, pro argento suo quod volunt, loqui.

No-

Notum eſt Themiſtoclis factum, qui eum à quo per totum diem convitiis oneratus fuerat, noctu à ſuis cum lucerna deduci juſſit.

Vita Principum qualis.

PHilippus II. Hiſpaniarum Rex, Principum vitam, Textorum vitæ ſimilem eſſe dicebat. Quemadmodum enim Textoris officium valde laborioſum eſt, & non aſſiduitatem tantum continuam, ſed & totum hominem requirit, indefeſſum ſcilicet manuum ac pedum motum, defixos in tela oculos, quæ ut innumeris pæne conſtat filis, ita facile ſolvitur, rupto hic filo, alibi intricato; atque ad omnia reconcinnanda tam oculi quam manus ſine ulla mora præſto eſſe debent: ita Reges & oculos & manus, adeoque totum animum pluribus negotiis ſimul intentum habere, & mature incommodis quibuſvis occurrere oportet. Experto crede Roberto.

Qui Principum conſortio indigni.

JAcobus Almanſor paraſitos, ſanniones, ludiones, hiſtriones, & id genus homines vehementer deteſtabatur, tanquam inutilia terræ pondera, & fruges tantum conſumere natos: fucis eos ſimiles eſſe dictitans, qui alieno labore partis opibus inſidientur.

Quæ

Quæ Principibus maxime perniciosa.

BAjardus ſtrenuus militiæ ductor, nullam rem apud Principes pernicioſiorem eſſe dixit, quam audaciam & potentiam, cum ignorantia conjunctam.

Aulicorum vita.

COrdatus quidam & multæ experientiæ homo, illud ſe obſervaſſe dicebat, tam Principes quam eorum aſſeclas quaſi per tranſennam hunc mundum inſpicere, vitæque bona extremis tantum labiis deguſtare. Ob continuas enim & graviſſimas occupationes cibum eos non manducare, ſed truncare, nec vinum bibere, ſed infundere: atque ita fieri ut ad integri menſis, aut etiam anni finem prius perveniant, quam initium ſenſerint. Quomodo enim ullam ſinceram vitæ hujus voluptatem illi percipiant, qui eam aut continue diſcurſando, aut ſimulando ac diſſimulando, aut ſuam fortunam deplorando:& aliorum bonis invidendo, aut mille injurias devorando, præſentia deteſtando, futura metuendo, & infinitis aliis tam corporis quam animi miſeriis traducunt? Non injuria Hiſpani vulgari proverbio illum Regem eſſe dicunt, qui Regem numquam viderit; & Franciſcus Hetruriæ Dux, civis aut ruſtici opulenti conditionem omnibus aliis præferebat.

bat. Sed quidquid alii ſentiant, equidem litteratos tantum homines, eos præſertim quibus neceſſaria non deſunt, vita hac vere & quaſi in ſolidum frui, exiſtimo: ut qui tempus quiete & honeſtis occupationibus, tranſigendo, vitam hanc, non ut aulici, negotiatores, & alii, veluti raptim currendo, ſed pedetentim ambulando tranſeunt: nonnunquam ad dulcem leniter decurrentium rivulorum ſtrepitum conſiſtentes, alibi viridantium & pulcerrimis fetarum fructibus arborum; vallium amœniſſimarum, colliculorum & præcelſarum alpium mira varietate inter ſe diſtinctarum jucundiſſimo aſpectu oculos paſcentes, è variis, denique tàm Naturæ & doctrinæ quam pietatis floſculis immarceſſibilem Sapientiæ ſibi corollam texentes; atque ita ſuaviter in Dei gratia & melioris vitæ ſpe acquieſcentes.

In aulis Principum hodie fere ſanniones, ludiones & aſſentatores primas tenent. His licet intrare, ſedere, loqui: his cibus de Principis menſa datur, his cubicula, & arca etiam Principis patet, his creditur, his mos geritur. His bene aut male, prout voluerint, de unoquoque loqui licet: grata ſunt denique omnia quæ dicunt aut faciunt.

Adula-

Adulatores quomodo excipiendi.

QUidam Sigiſmundum Imperatorem ad cœlum laudibus efferebat, ac Deo pæne æqualem faciebat. Iratus Imperator homini colaphum impingit. Exclamanti, *Cur me verberas*, reſpondit, *Cur tu me mordes?*

Huic congruit illud Græcorum: τὰ πρῶτα ὁ κόλαξ τὰ δεύτερα ὁ συκοφάντης. In aulis Principum primas tenet adulator, ſecundas, ſycophanta.

Eodem Sigiſmundo, Adulatores cane pejus & angue ſe odiſſe dicente, Brunorus Veronenſis, At hoc genus, inquit, homines longe omnium vobis cariſſimos eſſe video. Qua enim alia arte plerique omnes tantam gratiam & favorem acquiſiverunt? Ibi Imperator, Verum dicis, mi Brunore: ea enim eſt naturæ noſtræ imbecillitas, ut quamvis Adulatores fugiendos eſſe dicamus, eorum nihilominus conſuetudine delectemur. Et tu ipſe profecto ſi nihil omnino umquam eſſes aſſentatus, jam dudum, credo, aula mea exiiſſes. Innuens non ſemper *Veronenſem*, ſed *Placentinum* nonnunquam fuiſſe.

Præſente Friderico III. Imperatore Caſpar Schlickius tam multiplicem aulæ hypocriſim deteſtatus, Ego, inquit, quovis ire potius conſtitui, quam inter ejuſmodi homi-

homines versari. Tum Imperator, Ergo ultra mare glaciale proficiscendum tibi intelligo: & tamen ibi quoque quod fugis invenies? si quidem nemo est quin hac arte aliquando utatur. Immo, ut præclare Seneca, *Sibi quique maxime assentatur.*

Ludovico XII. Franciæ Rege aliquando dicente, In aula sua abunde omnia quibus opus esset, & quibus etiam opus non esset reperiri, unum tamen abesse: familiarium aliquis, id quidnam esset rogabat. Veritas, Rex inquit: quam pater meus animam agere dicere solebat; ego vero, & quidem intestatam, jam mortuam puto.

Augustus mortuo Varo, idcirco supra modum se dolere ajebat, quod jam non esset à quo verum audiret.

Gordianus vero Imperator dicere solebat. Miserum esse Imperatorem apud quem vera reticentur.

Non facile fidendum.

ALcibiades ad dicendam caussam é Sicilia, quo se receperat, Athenas evocatus, quum iturum se negasset, Siculus quidam, Ecquid tu, inquit, civium tuorum, amicorum & cognatorum judicio diffidis? Quid mirum, inquit Alcibiades? Immo hac in re matri quidem meæ fidem habiturus non sim. Quid enim, si illa

illa nigrum calculum pro albo apprehenderit? Niger enim color damnationis, albus absolutionis signum erat.

Nihil violentum diuturnum.

DIonysius Siciliæ tyrannus filium ob vim nobili puellæ illatam acerrimè objurgans. Quid tu, ait, aut umquam simile aliquod facinus patris tui audisti? Cui filius, Non enim pater tuus Rex fuit. Huic Dionysius: Nec tu profecto filium Regem habiturus es, nisi ab ejusmodi flagitiis desistas.

De superbia & in quo falsa consistat felicitas.

CHristophorus Landinus scribit quodam loco, Superbiæ socias sive comites esse Levitatem, Arrogantiam, Avaritiam, Ambitionem, Lætitiam immoderatam, onerosam Humilitatem, & peccandi Licentiam: filias vero, Hæresim, inobedientiam, vanam gloriam, hypocrisim, ostentationem, pervicaciam, discordiam, invidiam.

Idem fallacem hujus Mundi felicitatem ait in quinque rebus consistere, imperio scilicet, divitiis, honoribus, famæ sive nominis existimatione, & corporis voluptatibus.

Ex inimicis ſalus.

ANtiſthenes (Xenophonti idem nonnulli tribuunt) dicere ſolebat, diligenter nobis attendendum eſſe quid inimici de nobis ſentiant & loquantur, utpote qui vitia noſtra longe melius quam amici pervideant & notent. Et ut à ſerpentibus remedium, ita ab inimicis utilitatem petendam eſſe, idem monebat.

Fortunæ inſtabilitas.

PEtrus Albizius Florentinus, cives omnes auctoritate, divitiis & potentia longe ſuperans, quodam die complures amicos ad magnificum epulum invitarat. Menſis ſecundis illatis, inter bellaria clavus repertus fuit, magna cum omnium admiratione, ex quo convivarum aliquis capta occaſione, monere eum cœpit, ut Fortunam ſuam jam ſummo loco conſiſtentem trabali clavo figat opus eſſe, ne illa more ſuo rurſus ad ima vergat. Et præſagium hoc potius quam interpretationem fuiſſe, eventus docuit, Albizio non fortunis tantum omnibus everſo, ſed ignominioſa quoque morte affecto. *Tutius*, ſcilicet, *eſt ad ſummum, quam in ſummo*, Seneca: *Fortunæ magna non caret formidine*. Sexcenta tàm exempla quàm dicta ad hanc rem paſſim occurrunt.

Luxus excusatio.

QUum Aristippo Philosopho quidam victum splendidum & sumptuosum exprobrasset. Equidem, ait ille, si peccatum hoc esset, nequaquam Deorum festa tanto luxu & pompa celebrarentur.

Cavendum ab ambiguis verbis.

LUdovicus XI. Franciæ Rex, devictis rebellibus, & toto fere pacato regno; Equitum magistro (Conestabilem vulgo appellant) qui clanculum rebelles re & consilio juverat, diligenter sese excusanti, & securum commeatum petenti renunciari jussit: Ut tam sedulo sese purgaret, nihil quidem opus fuisse: satis enim superque sibi tam de Conestabilis erga se animo, quam meritis & officiis constare. Veniret ergo quandocumque ipsi videretur. Et hoc quidem pro certo, inquit Rex ad nuncium, ac sine ulla fictione tibi affirmo, me ad res meas constabiliendas tali capite vehementer opus habere: non consilia à tali capite profecta, sed caput ejus à cervicibus revulsum intelligens.

Vino multa adscribenda.

QUum milites quidam apud Pyrrhum Epiri Regem delati essent, quod in convivio quodam multa in eum contumeliose

liose dixissent; Rex accersitos utrum res ita se haberet, rogat. Ibi unus ceteris audacior, Fatemur inquit, Rex, nos multa id genus dixisse, & nisi lagena nos tam cito defecisset, multo fortasse plura dicturi eramus, Hac tam sincera confessione quam festiva excusatione delectatus Rex, liberos abire permisit.

Joco matrimonium pacatum.

BErnardus Amideus, filium sibi sine opera sua natum suspicans, dies noctesque multum sese affligebat. Eam rem animadvertens Petrarcha amico vehementer objurgato, Tibi, inquit, Maria Ravennate magistra opus est, quum uxori, utpote soli optimè consciæ fidem habere verearis, Et hanc quidem ad rem audi lepidam fabulam. Ante annos non multos Senis civis quidam illustris & opulens habitabat, uxorem Mariam in Ravenna nomine eximia forma in matrimonio habens, quæ tamen adversa pudicitiæ fama laborabat. Ea quum filium unicum tenellum in sinu gestaret, maritus defixis primum in puerum, deinde in matrem oculis, ex intimo pectore suspirium duxit, Causam uxori roganti, Semissem, inquit, bonorum meorum dederim, si tam certus essem filium hunc meum genuinum esse, quam tu certa es.

Ibi mulier nihil immutato colore, Tanto ait, hanc in rem ſumptu opus non eſt: quod ſi mille tantum ducatos mihi donaveris, ſcrupulo omni exempto, hujus rei quam certiſſimum te faciam. Conditione à marito accepta, advocantur cognati quidam & amici tamquam arbitri, tum re tota explicata uxor infantem in ulnas ſuſcipit, & ſubridens. Mi marite, inquit, numquid fateris infantem hunc meum eſſe. Certe, inquit maritus: ſed quid tum poſtea? Ibi illa accedens, Age igitur, eundem tu cape, à me tibi donatum: nec quiſquam jam tuum eſſe negaverit. Solutis in riſum omnibus, amici & ſingularem mulieris hujus dexteritatem laudarunt, & ſtultam viri zelotypiam reprehenderunt.

Mercatura Principibus indigna.

THeophilus Imperator Conſtantinopolitanus uxorem habuit admodum avaram, ut quæ mercaturam etiam tam terra quam mari exercuerit. Accidit ut Imperator per feneſtram proſpectans, ingentem onerariam in portum appulſam conſpicatus, miſſo puero, cujus nam ea eſſet, unde veniret, & quas merces veheret, percunctari juberet. Ubi vero intellexit ad uxorem tam navim quam merces attinere, nautis mandavit ut ſtatim quæ ſua eſſent quiſ-

quisque exportaret: quo facto, igne injecto navim & quidquid in ea erat comburi jussit, uxorem quæ hæc spectabat austero vultu sic affatus: Me quidem Deus Imperatorem fecit, at tu nauclerum & mercatorem facere me satagis, Tu scito, subditorum nostrorum esse, mercaturam exercere, & victum inde quærere: quod si nos totius Imperii reditibus non contenti, etiam mercaturæ utilitates ad nos rapiamus, unde subditi nostri & vitam sustentabunt, & tributa nobis solvent? *Princeps se regem esse, non mercatorem meminerit.*

Non vi, sed blanditiis Amor gaudet.

LEo Byzantinus Platonis discipulus nobilis sophista, quum accepisset Philippum Macedoniæ Regem magno cum exercitu ad expugnandum Byzantium adventare, obviam ei profectus, cur patriam suam oppugnatum veniret, rogavit. Rex, Scias, inquit, me deperire eam, nec facile quieturum donec ea potiar. Tum Leo, At tu etiam hoc scias, ô Rex, amatores ad amicarum fores non instrumenta bellica, sed Musica adducere solere. Quo dicto, Rex delenitus, omisso Byzantio, arma alio convertit.

Panicus terror.

ARnoldo Imperatore Romam obſidente, forte fortuna ab iis qui foſſas moliebantur, lepus è cubili excitus, & per caſtra diſcurſans, pleriſque, ut fit, inſequentibus, ingentem tumultum excitavit. Eo conſternati qui in muris excubias agebant, rati corona urbem oppugnatum iri, ſubito deſertis ſtationibus diffugere cœperunt. Quo animadverſo; Imperatoris milites, omiſſo fugaci animalculo, per muros nemine reſiſtente enixi, urbem unico aſſultu ceperunt.

Cui mutuo dandum

AD Tarquinium Abbatonium militum ducem in lectulo cubantem miles quidam venit, totus ſudans ac triſtis, eumque affatus, Quid, inquit, agis, dux optime? an dormis? Cur hoc rogas? inquit Tarquinius. Ah, inquit ille, rogare te volui ut decem ducatos mihi commodes, ut iis pecuniam luſu perditam, cum fortuna favente recuperem. Abi, ait Tarquinius, ego dormio.

Primas fert qui plurimum dat.

FLorentiæ quum novus Senatus legendus eſſet, quidam Laurentio Medicæo hominem vino valde deditum, ut ſuffragio eum

eum juvare vellet, commendabat, inter cetera hoc addens, uno vini cantharo quocumque vellet adacturum. Tum Laurentius; Quid me fiet, si quis alius binos ei cantharos propinarit?

Datum reddendum.

AB Arlotto Florentino amicus frumenti aliquot modios mutuo acceperat, reddere postea oblitus. Quum vero annonæ incidisset caritas, eundem adit, & rursus modios aliquot poscit. Arlottus homini commonstrat granarium, & petere inde jubet. Ille nullo frumento reperto, redit, frustra se ibi fuisse indicans. Tum Arlottus, Nihilne reperisti? Crediderim ergo id quod ante annum tibi concreditum fuit, nondum à te reportatum. Quod ergo gratificari tibi non possum, tibi ipsi imputabis. Bonus *condus* bonum *promum* facit.

Talis res frangitur.

FRanciscus Seminata, magna bonorum parte talorum lusu dilapidata, à Prætore in custodiam datus fuit. Hanc ille injuriam, ut putabat, ægre ferens, Prætor hic, ait, carceri me inclusit quod mea bona dilapidarim; quid mihi facturus, si ipsius bona dilapidassem? cujus joci festivitas Præ-

tori tantoperè placuit, ut hominem ſtatim cuſtodia liberarit.

Principum ira non provocanda.

ATheníenſibus divinos Alexandro Magno honores, uti ſtulta aſſentatorum perſuaſione inflatus petierat, decernere recuſantibus, quidam dixit: Cavete Athenienſes, ne dum cœlum nimis ſollicite cuſtoditis, terram amittatis.

An & quando Philoſophis pecunia opus.

ARiſtippo bonam argenti ſummam petenti, Dionyſius Siciliæ tyrannus admirabundus, Quid tu, inquit, Ariſtippe ea petis, quæ vos Philoſophi, ut quidem præ vobis fertis, adeo contemnitis, & quibus ſapientem egere negatis? Ariſtippus, prius mihi da, inquit, ad quæſtionem poſtea reſpondebo. Accepto argento, Ariſtippus ait: Numquid vides, Dionyſi, me jam iis rebus quas dicis non egere, nec doctrinam noſtram ſibi repugnare?

Xenocrati Philoſopho Alexander Magnus quinquaginta talenta donarat; quæ tamen ille accipere recuſavit, tanto dono ſibi opus non eſſe dicens. Tum Alexander, Ergo nullos amicos habes; quibus aliquo opus ſit? Mihi quidem ad benefaciendum amicis omnes Darii opes vix ſatis fuerunt:

& tu in quos usus quinquaginta collocare talenta debeas, nescis.

Miserior est qui patitur, quam qui passus est.

AD Arlottum Florentinum Ecclesiastici quidem ordinis, sed multi ac liberalis joci hominem, nauta quidam venit stipem rogans, ac dicens, Catalaunorum piratarum manus ægrè se evasisse. Tum Arlottus, Multo sane justior caussa mihi à te petendi fuerit. Ego enim in illis manibus sum, quas tu evasisti, Calixtum Papam intelligens, qui ex ea natione erat.

Facetum, sed pium rustici dictum.

RUsticus quidam dicere solebat, se suo quotidie labore quinque lucrari panes. Interrogatus autem quomodo eos distribueret, *Unum*, inquit, *capio, unum projicio, unum reddo, & duos do mutuo*. Ænigma hoc declarare jussus, Unum, inquit, in meum usum capio; unum projicio, quem porrigo novercæ meæ; unum patri, quem illi reddo, duos liberis meis mutuando credo.

Mulieres & pueri sæpe rerum potiuntur.

THemistocles quum unum ex liberis suis matri ita in delitiis esse videret, nihil ut umquam illi negaret, ac plus quam seipsum amaret, concludebat filiolum hunc suum

Græcis omnibus dominari, ſic argumentans: Athenienſes dominantur Græciæ, Ego dominor Athenienſibus. Mater mea dominatur mihi. At filius meus matris meæ dominus eſt. Ergo toti Græciæ dominatur.

Eandem fere in ſententiam Cato, Nos omnibus, inquit, totius Orbis hominibus imperamus, at uxores noſtræ imperant nobis.

Liberi quatenus amandi.

ARiſtippus quum liberos haberet parum dicto audientes, & vitioſos, domo eos tandem ejecit, ac ſi eos pro ſuis non agnoſceret. Cujus ſeveritatis nomine ab amico reprehenſus, quod ſcilicet liberi utpote ab ipſo generati, corporis ipſius pars eſſent: Etiam pediculi, inquit, & pituita è capite deſtillans meo, à me provenit, quæ tamen quia nullius uſus ſunt, lubenter à me ſeparo & abjicio.

Decore pro ſexu, incedendum.

GEnerum Cicero habuit adeo mollem & delicatum, ut lento & quaſi cribrato gradu incedens, pro femina haberetur; filia vero, virorum inſtar, grandem gradiebatur gradum. Pater igitur eam eundo ita ſuccutientem conſpicatus. *Placide*, inquit,

incede filiola, ut maritus incedit tuus. Atque ita uno dicterio ambos perstrinxit.

Ingenii ostentatio juvenilis elusa.

RUsticus quidam filium habuit, qui contritis aliquot in litterario ludo annis, domum reversus, eruditionem suam ubique & semper ostentare gestiebat. Quum vero aliquando in mensa nihil appositum esset præter quatuor ova, & filius admirabilis suæ eruditionis specimen dare cupiens, diceret, Septem ibi esse, quandoquidem numerus quaternarius etiam ternarium complecteretur; & quatuor ac tria septem conficerent; pater, ne pluribus disputaret, quatuor ova sibi sumpsit, dicens: Ego quatuor ista comedam, reliqua tria tu tibi capito.

Importuna interrogatio elusa.

QUidam hominem munus quoddam pallio tectum gerentem interrogavit; Ecquid portaret, Annon vides, respondit alter, de industria ideo tectum esse, ne tu scires?

Curiositas.

ANtigonus quum exercitum suum lustrans, Antagoræ poëtæ tentorium intrasset, & pisces eum coquentem invenisset, Putasne, inquit, Homerum quum res

Agamemnonis deſcriberet, coquendis piſcibus, occupatum fuiſſe? Cui reſpondit Poëta: Putaſne & tu Agamemnonem quum præclara illa facinora ederet, curioſum fuiſſe inquirendo an in exercitu piſces coquerentur?

Alexandri M. Exemplum inverſum.

JOannes Gonzaga Talis ludens, multam pecuniam perdiderat, adſtante Alexandro ejus filio ſubtriſti. Tum quidam, Ecce filium tuum avidè exſpectantem ut ludo vincas, ut & ipſe de præda partem aliquam habeat: Erras, inquit Gonzaga: neque enim Alexandri eſt tam humilia cogitare. Neſcis tu Magnum illum Alexandrum, quum audiſſet non civitates tantum, ſed multa etiam regna à patre Philippo ſubjugata, flere cœpiſſe, quod diceret, vereri ne ſibi poſt paternas victorias ullum ſpicilegium reſtaret, ſic & meus hic Alexander triſtis adſtat, ſed contrariam ob cauſſam: ſi quidem metuit fortaſſe ne tantum ego ludendo perdam, ut ipſi quod perdat nihil reliquum ſit futurum. Scitum eſt illud cujuſdam de Alexandro dictum: *Alexander Mundo Magnus eſt: at Alexandro Mundus eſt Parvus.*

Quiſque

Quisque suo genio ducitur.

CRates-Philosophus quum egregia quædam mulier nubere ipsi cuperet, progressus, & cogitans ignorare fortassis mulierem quod gibbosus ipse esset, & pauper, penulam humeris detraxit, & unà cum pera & baculo in terram projecit, protestatus, suas has facultates, suam hanc formam esse quam videret, secum itaque bene expenderet, ne postea hujus pœniteret. Verum ea nihilominus conditionem accepit, affirmans, se nec pulchriori nec ditiori marito nubere potuisse.

Spartanorum lex de connubiis.

CIrca matrimonium, Spartanorum lex mulctam statuebat, primam, non ducenti uxorem; secundam, sero ducenti; tertiam & gravissimam, malam ducenti.

Quando uxor ducenda.

DIogenes ab amico rogatus: quodnam tempus esset uxorem ducendi. Ille, juveni inquit, qualis tu es, nondum; seni nunquam.

Fragilitas muliebris.

PYthagoras dicebat, aurum igne, auro fœminas, viros verò fœminis probari. Idem ait: si ex argento essent fœminæ, ad-

monetam faciendam minime aptas fore, ut quæ mallei ictum minime ferre possint.

Arlotti quædam dicta.

TAnti mihi est utilitas nihil proficiens
Quanti malum mihi nocens,
Qui vetere relicta, novam viam prendit,
Ad locum quo non vult, sæpe tendit.
Donator pridem obiit,
Adjutor animam agit.
Ne te possit pœnitere,
Secreta tua confitere,
Confessario, Advocato,
Medico: reliquos celato
Atrox & periculosa est tempestas mala mulier.
Non omne quod splendet aurum est.
Qui calamitates non vult ferre,
Exeat quamprimum è terra,
Vita hæc nihil aliud est quam assidua militia & malitia.
Pecunia, Sapientia, Fides,
Vix hodie sunt, quamcunque vides.
Non est ulla virtus quam paupertas non maculat:
Nec ulla sanctitas quam peccati dulcedo non collutulat.
Abundantia fastidium gignit,
Qui bene sedet male cogitat.
Gaudium hujus Mundi breve est.

In

In cœlo æſtu non calebit.
  Nec frigore quiſquam algebit.
Abit tempus, & omnia ſecum trahit.
Qui præter ſolitum eſt blandus,
  Proditionem molitur infandus,
Qui facit quæ facere non debet,
  Fieri videbit quæ non credet.
Qui unum periculum ſemel evadit,
  Mille evaſurum ſe ſperabit.
Contra timorem omnia arma ſatis non ſunt.
Si ruſtico quis manus det,
  Simul & pedem arripiet.
Fac quod facies.
Equo donato dentes non ſunt inſpiciendi.
Parum is ſcit, qui ſeipſum juvare neſcit.
Qui contentus eſt, lætus eſt.
Tantum creſcit amor, quantum ipſa pecunia
  creſcit.
Id verè meum dixero,
  Quo utor, quodque Deo dedero.
Nec feminam nec pannum eme.
  Ad candelam; fraudem time.
Qui malus eſt, nec malus putatur,
  Facit malum, ac celatur.

Sequentia Guicciardino Boccatio adſcribuntur.

QUi ſtatum mutat; ſenſus mutat.
  Neceſſitas caret lege,

Qui nihil ſcit, ſi tacere ſcit, ſatis ſcit.

Gratus & jucundus homo eſt, qui homo eſt.

Prima pars ſtultitiæ eſt, ſapientem ſe credere.

Homo proponit; Deus diſponit.

Una uncia dominii, æquiparanda eſt libræ Auri.

Si vis bene mori, bene vive.

Qui perſtat; vincit.

Præſentem fuge voluptatem quæ futurum gignit dolorem.

Fœmina amans ocii, cum virtute nil habet negocii.

Paupertas homines ſtrenuos, Lex facit ingenuos.

Omnium dolorum optimum remedium eſt Patientia.

Conſcientia vim habet mille teſtium.

Vera lex Natura eſt.

Omnis timor ſervitus.

Ex præſentibus conjectura fit quæ poſt hæc ſint futura.

Pactis ſive contractibus leges rumpuntur.

Unus homo centum valet, & centum vix unum.

Sententiam & propoſitum mutare ſapienti probro non eſt.

Admiratio Ignorantiæ eſt filia.

Facta viris, verba fœminis.
Diligentia vincitur scientia.
Fames Famæ sæpe obest.
Tempus est Veritatis pater,
Usus rerum omnium mater,
Qui virtutem serit, bonam famam metit.
Mors omnium, sed Mortis Fama est victrix.

Conversatio quam jucunda.

ARchitas Tarentinus dicere solebat, Si cui Deorum immortalium munere concessum esset ut in cœlum ascenderet, & mundi hujus naturam ac stellarum pulchritudinem contemplaretur, parum id ei gratum futurum, si non haberet postea cum quo ea quæ vidisset, communicaret.

Nec ego vulgo, nec vulgus mihi.

EXtra reprehensionem, immo laudabilis est illa Epicuri vox dicentis: *Numquam placere volui populo: quoniam ea quæ ego facio illi non laudant; & quæ illi laudant, ego non facio.* Et Horatius.

Odi profanum vulgus & arceo.

Malorum consuetudine an & quomodo utendum.

REprehensus Diogenes, quod cum malis conversaretur, Etiam sol, inquit, radios suo

ſuos in loca immunda ſpargit, nec tamen inquinatur.

Idem alii idem objicienti: Medici, inquit, ægrotis toto die aſſident, nec tamen hi morbum contrahunt.

Vita ſolitaria.

SCipionis illud fuit: Numquam ſe minus ſolum eſſe, quam quum eſſet ſolus; nec minus ocioſum, quam quum eſſet ocioſus.

Ruſticus quidam doctum hominem ſolitudinis amantem accedens rogavit, qui ita ſolus vivere poſſet? Tum ille, *Ego*, inquit, *ſolus eſſe cœpi eo temporis momento, quo tu ad me veniſti*, ſignificare volens, doctum hominem tum demum ſolum eſſe, quum inter ignorantes verſatur, à quibus animum disjunctum habet & abſtractum.

Crates juvenem in loco quodam ſecreto ambulantem conſpicatus, quid ſolus ibi ageret, quæſivit. Cui juvenis; *Mecum ego colloquor.* At ille: *Vide ne cum homine nequam colloquaris.*

Secretum alteri non committendum.

SErvus veſtem ab hero ſibi donatam, illico alii cuidam amico ſuo donavit. Ab hero propterea objurgatus, *Quid*, ait, *me tuam ſervare vis, quum nec tu illam ſervare potueris.*

Nimia

Nimiæ laudes quomodo accipiendæ.

NObilis quidam quum diu & patienter impudenti cuidam, mirificos titulos & nimias laudes in ipſum congerenti, auſcultaſſet, tandem inquit: Non ſcio equidem quid tuis iſtis laudibus facere debeam: quas ſi rejicio, te adulatorem arguo; ſi recipio, inanis gloriæ cupidum me oſtendo. Dividamus itaque ut boni commilitones & ſocii, & partem earum mihi concedens, tu alteram partem cape.

Ambitio irriſa.

ALexander Macedo non ſatis eſſe putans & hominem eſſe & Regem, & *Magni* nomen obtinere, Jovis quoque filius nuncupari voluit. Hinc indignata ipſius mater, *Caveſis fili*, inquit, *ne malam Junonis gratiam tibi & mihi concilies*

Hanc ipſius Divinitatem irridens Philoſophus quidam adulari neſcius, videns medicum ægrotanti juſculum præparare, *Dei noſtri ſalus*, inquit, *à juſculo pendet.*

Quænam noxia maxime ſint animalia.

PHiloſophus quidam rogatus, quodnam animal hominibus omnium maxime eſſet noxium, reſpondit: *Inter Sylveſtria, Maledicus: inter domeſtica, Adulator.*

Maledici procul habendi.

REx quidam cum altero bellum gerens, quum militem quendam hosti maledicentem audisset, acriter eum castigavit, inquiens: *Ideo tibi stipendium ego numero ut contra hostem dimices, non ut ei maledicas.*

Alexander Magnus quum intellexisset quosdam male de ipso loqui, sapienter & regia quadam moderatione respondit: Regium esse bene facere, & male audire.

Modestia.

PYrrhus subita & felici ab hostibus reportata victoria, quum intellexisset *Aquilam* se à suis militibus nominari: Si ego Aquila sum, inquit, vos utique in caussa estis, siquidem brachiis & armis vestris quasi pennis me sublevastis & sustinuistis.

Eleganter Græcus quidam Poëta: *Qui absenti mihi maledicit, injuriam non facit; qui vero bene mihi præsenti dicit, is maledicit.*

Contentio fugienda.

QUidam ab homine contentioso & contradicendi cupido rogatus, Utro oculo quam longissime prospiceret; *Quo tu vis*, inquit, Nimirum.

Ferendo vincitur, qui potest, vincere.

Mundus cui similis.

PYthagoras dicebat, *Mundum esse quasi Mercatum quendam*, in quo tria hominum genera concurrerent: Unum ad emendum: alterum ad vendendum: tertium ad videndum quid in mercatu ageretur. Et posteriores hic idem ajebat Philosophos esse, & ceteris feliciores. Forsan tum non tanta crumenisecarum & furum multitudo fuit, quanta hodie, quos Pythagoras alioquin fuerat additurus.

Alius Mundum hunc Theatrum esse ait, sive Scenam quandam, nos, histriones; Deos, spectatores: sub his forte Philosophos quoque comprehendens.

Et improbis utendum.

PRinceps quidam per juvenem lascivum & parum laudatæ vitæ, nobiles quasdam feminas ad convivium invitarat. Procedente convivio, & omnium animis ad hilaritatem solutis, una earum per jocum ex Principe quærit, quî factum esset, quod quum in tanta modestorum juvenum & ministrorum copia, per illum potius vitiosum hominem ipsas invitari curasset? Cui Princeps respondit. *Cum bonis quidem semper sibi convenire; jam vero periculum facere voluisse, quomodo & cum improbis agere posset.*

Astro-

Astrologiæ vanitas.

ASTrologum de motu Sphærarum cœlestium & stellarum cursu multa disserentem, Philosophus quidam interrupto sermone, interrogavit: *Quamdiu factum est, quod de cœlo descendisti?*

Bona existimatio quomodo comparanda.

SOcrates inrerrogatus, quæ maxime compendiosa homini via esset ad bonam famam & gloriam acquirendam, respondit: *Si curarit talis esse, qualis videri desiderat.*

Dicterium in Neronem.

IN Neronem, qui excellens Musicus, quamvis non esset, haberi tamen volebat, scitum est illud: Eum quemlibet potius fuisse, quam Musicum: meliorem tamen Musicum, quam Principem.

Ne sutor ultra crepidam.

ALexander Magnus in Apellis ædibus de pictura judicium ferens, quum quædam ab arte plane aliena disseruisset, Apelles in aurem ipsi insusurravit: Aut istis de rebus omitte disputare, ô Rex, aut submissius loquere, ne pueri qui colores terunt, te audiant simul & rideant.

Ptolomæo Regi de Musica disputanti, Musicus dixit: *Alia res est sceptrum, ô Rex, alia plectrum.*

Vera

Vera nobilitas quæ.

DIogenes interrogatus, quinam mortalium omnium essent Nobilissimi: Qui divitias, inquit, gloriam, voluptatem, & vitam contemnunt; contraria vero, hoc est, paupertatem, ignominiam, laborem, mortem præclare sustinent ac vincunt.

Reprehensio tempestiva esse debet.

AMicum quidam ebrium conspicatus accessit, & his verbis increpavit: Non te ebriositatis tuæ pudet? Tum ille, Non te pudet Ebrium reprehendere?

Pulcherrima Conversationis Regula.

SApienter Epictetus, *In Conversatione*, ait, *Majori credendum esse, Minori cum modestia persuadendum, Aequali assentiendum.*

Honoris acceptatio lepide excusata.

NObilis quidam ab amicis & aliis post longam contentionem, præcedere & domum quandam prior ingredi coactus, *Bene*, inquit, *jam opinor, intelligitis, me vestri studiosissimum esse servum, quum prompte vobis etiam iis in rebus obediam quæ pudorem mihi incutiant.*

Rex an melior aliis.

QUum Leonidæ objectum à quodam fuisset: *Tu quidem excepto regno, nihilo me*

me es melior : At enim, respondit Leonides, *si te melior non forem, non utique Rex essem*.

Nec infirmi contemnendi.

SCipio Ædilitiam dignitatem ambiens, nactus obviam quendam venientem, apprehensa ejus manu, quum duram & callo obductam sensisset, per jocum interrogavit; *Utrum manibus an pedibus ambulasset*. Quo ille joco tanta indignitate commotus fuit, ut per tribus circumiens, & plebem ludibrio haberi dicens, veluti stipulas ignis, multitudinem universam ad iram accenderit, idque effecerit ut Scipio repulsam passus sit.

Rex cui similis.

ELegans est illa Regis cujusdam comparatio, qui se *platano* aut *nuci* similem esse dicere solebat : sub quam pluvio cælo multi se recipiant; qui postea serenato cœlo, eidem & ramos decutiant, & securim admoliantur.

Potentia sobrie utendum.

CAto monebat, *Potentes potentia sua sobrie uti debere, ut diu ea uti possint*.

Trajanus Imperator Senatores pro veteri more, *Patres* : se vero *Ministrum* nominabat.

Achilles an Homerus.

QUidam interrogatus, utrum *Achilles* an *Homerus* esse mallet? Et tu mihi dic, respondit, utrum *buccinator* an *Imperator* esse malis!

Aures in pedibus quidam habent.

ARistippus à Dionysio quid petens, quum non exaudiretur, tandem ad pedes illius provolutus, quod petierat impetravit. Ob hanc indignam Philosopho humilitatem reprehensus, ajebat. *Culpam hanc non suam esse, sed Regis, qui aures in pedibus haberet.*

Qui ab officiis removendi.

PHilippus Macedoniæ Rex quum animadvertisset quendam ex officialibus suis barbam tinxisse, ab officio eum removit, dicens, *eum qui propriis pilis fidus non esset, in causis publicis multo minus fidum fore.*

Mulieres cui similes.

ARgute quidam *Mulieres morti similes* esse dixit, propterea quod fugientem sequantur, & sequentem atque vocantem fugiant.

Amor cui similis.

CHimæræ nonnulli Amorem comparant. Sicut enim Chimæra caput habet

Leonis, Capræ ventrem, & caudam Draconis; ita Amor initio feritatem Leonis præ se fert, in medio Capræ luxuriam, in fine vero venenum Draconis, quod & ruinam Amanti conciliat, & mortem.

Qui viri probi.

QUidam qui omne tempus ocio & torpore consumebat, ob inertiam hanc objurgatus, & ut & ipse laboraret monitus, quatuor, quos habebat, fratrum exemplo, qui suo sibi sudore victum quærerent: At quatuor, inquit ille, nebulones, facile unum virum probum alere & sustentare possunt. Quo inferre voluit, laborare, nebulonum esse: viri autem probi, in ocio degere. Quod si ita esset, Deum immortalem, quanta hodie esset bonorum virorum copia!

Qui sapientes.

PHilosophus quidam eos sapientes prædicabat, quos voluntas & cupido incesserat navigandi: nec navigarent tamen: Rempublicam administrandi, nec administrarent: uxorem ducendi, nec tamen ducerent.

Occasio præcidenda.

NObilis quidam in pulcherrimæ cujusdam fœminæ ædes pictorem miserat, effigiem

effigiem ejus ut depingeret: sed illico quum jam depingere cœpisset, supervenit maritus, & pictorem ex ædibus proturbavit, dicens: Fieri posse ut nobilem illum, post Copiam sive exemplar, ipsius etiam Originalis, ut vocant, obtinendi cupiditas incesseret.

Quomodo filiæ despondendæ.

OLympia Alexandri Magni mater dicebat, *mulieres cum auribus prius quam cum oculis despondendas*: id est, non tam aspectum & ornatum, quam bonam famam in matrimonio contrahendo spectandam.

Adspectus.

VIrum quendam gravem mulier lascivo paululum obtutu adspexerat: unde ille indignatus, Quin tu, inquit, terram potius intueris? At illa, Hoc magis, ait, te facere par est; utpote quum ex ea viri efformati sint; at quis nobis viros aspicere prohibeat, è quorum costis factæ sumus?

Honesta vidua.

NObilis quædam apud Romanos matrona de secundis nuptiis sollicitata, respondit, *Servium suum* (id enim mariti nomen fuerat) *quamvis aliis esset mortuus, sibi tamen adhuc vivere.*

Secundæ nuptiæ raro felices.

VIduus viduam duxerat: inter quos quum contentio in prandio exorta esset, mulier per contemptum semissem carnis quæ apposita erat, resecuit, & pauperi cuidam cum his verbis porrexit: Hanc tibi in gratiam prioris mei mariti datam volo. Tum maritus eidem alteram semissem dedit, inquiens: Et ego in gratiam prioris meæ uxoris hanc tibi partem do. Sic utique siccum tantum panem reliquum habuerunt.

Noverca & privignus.

QUidam quum canem lapide petens, novercam tetigisset, *Ut ne sic quidem*, inquit, *à scopo plane aberravi!*

Gener; uxor, &c.

ARgute quidam dixit, *Eum cui bonus obtigit gener, bonum filium acquirere, cui improbus, filiam perdidisse.*

De feminis alius, *Quemadmodum*, inquit, *præsidiarii ad colloquium vel conditiones ferendas redacti, ab expugnatione parum absunt, ita & feminæ, cum lascivo amatore vel consistentis vel colloquentis saltem, pudor magno in periculo versatur.*

Hinc sapiens quædam & casta mulier Amanti valde molesto, ita respondit: *Virgo patris, nunc uxor mariti subjecta sum imperio.*

rio. Ideoque si placet ipsum alloqui, & intelligere poteris, quid ille à me fieri velit.

Mulierum pertinacia.

MUlier quædam quum marito duos in cœna Turdos apposuisset, Merulas esse dixit. Replicanti autem marito, Turdos esse, illa triplicavit, esse Merulas: unde ira percitus maritus colaphum ipsi impegit. Sed neque sic destitit uxor, Turdos mensæ apponens, Merulas eas dicere: ideoque colaphos ille geminavit. Exacta jam septimana, uxor Merularum suarum iterum mentionem injecit, marito autem Turdos tamen fuisse dicente, quum illa nihilominus immo Merulas fuisse asseveraret; coactus fuit maritus Octavam celebrare, plagas & verbera iterando, sed neque sic cessavit contentio, Novo enim jam exoriente anno, mulier viro objecit, quod ob maledictas Merulas præterito anno vapulasset: & respondente marito, *ob Turdos;* uxore vero, ob merulas occinente, non potuit se continere maritus, quin veluti anniversaria celebrans, iterum probe eam depecteret: nec tamen sic adigere potuit, ut Turdos fuisse fateretur.

Vanus mulierum ornatus.

QUidam mulierem ambitiose ornatam conspiciens, *Hæ*, inquit, *plumæ pluris*

ſunt quam ipſa avis. Atqui *Sat ſunt ornatæ, quæ ornantur minus.* Et *Fræno inaurato equus non redditur melior.*

Ex uno de cæteris.

QUidam maritus primo nuptiarum die uxori faciem totam pugno contudit. Accurrentibus amicis & parentibus, & interrogantibus, quid illa commiſiſſet, quod tam male eam tractaret, *Nihil*, reſpondit. Admirantibus & altero alterum intuentibus, ſubjunxit ille: *Quum abſque cauſſa eam verberarim, cogitate quam male, ſi cauſſam mihi dederit, eam ſim tractaturus.*

Matrimonio non convenit auſteritas.

GRæci in ſacrificio, qno Junoni matrimonii cauſſa operabantur, fel victimis detrahebant, & à tergo aræ rejiciebant: ut eo ſignificarent, à Marito & Uxore omnem removendam eſſe auſteritatem, iram & amaritudinem.

Parentum erga liberos amor.

PTolemæus à quibuſdam reprehenſus, quod Ægypti regnum vivus filio tradidiſſet, *Nihil dulcius eſſe*, reſpondit, *quam Regis patrem eſſe.*

Regem decet liberalitas.

REx quidam filii conclave ingreſſus, multis ibi aureis & argenteis vaſis, quæ jam

olim ipsi donarat, conspectis, *Satis*, inquit, *video animo generoso te non esse; Tantis enim donariis quæ à me habes, ne unicum quidem, ut video, tibi amicum conciliare nosti.*

Filii modestia.

QUum juveni cuidam exprobraretur, quod pater male de ipso esset loquutus: *Si pater*, inquit, *ejus quod dixit caussam non haberet, utique non diceret.*

Mundi hujus abusus.

DIvinus quidam scriptor sequentia valde deformia, in hoc tamen Mundo valde frequentia esse dixit: *Sapientem absque Religione, Juvenem absque Obedientia, Divitem absque Eleëmosyna, Fœminam absque Honestate, Dominum absque Virtute, Christianum Litigiosum, Pauperem Superbum, Regem Iniquum.*

Gressus decorus.

ANgelus Politianus in platea cum amico gradum accelerante incedens, eundem apprehensa vestis lacinia, admonuit, ut placide ac pedetentim incederet, siquidem Aristoteles affirmet, *Gressum tardum gravitatis esse indicium*. Tum ille Politianum intuens. Sane miror te, inquit. Si enim negociorum quæ mihi jam incumbunt, vel dimidiata pars Aristoteli fuisset expedienda, utique ille undequaque discurrisset, & ta-

tamen vix tertiam eorum peregisset partem.

Mundi pervertas.

GRæcus quidam scriptor Mundum omnia perverse agere cernens, malos videlicet extollendo, bonos vero deprimendo, in hanc tandem venit sententiam, ut diceret. Si à Deo sibi hæc conditio ferretur: Tu post mortem resuscitatus, aut Canis eris, aut Ovis, aut Hircus, aut Equus, aut Homo, aut quodcumqoe tibi libuerit, se quidvis aliud potius quam Hominis formam electurum: quandoquidem inter omnia animalia solum hominem aut indignos experiri favores, aut injustis odiis expositum esse videret. Bonæ enim indolis Equum majori cum diligentia & ali & gubernari quam alium. Canem bonum, malo pluris æstimari; Gallum pulchrum singulariter & melius pasci, & generosum abjecto præferri, &c. at Homini nequaquam prodesse, quod vel bonus sit, vel doctus, vel generosus. Primum enim honorem haberi Adulatori; secundum Calumniatori; tertium Delatori; & consequenter improbis atque malitiosis locum dari. Inde satius fore concludit, ut in Asinum transformaretur, quam ut in hominis figura scele-

ratos

ratos commodius & majori in dignitate vivere conſpiceret.

Bonus ſemper.

MAncipium quidam empturus, cuidam dixerat, *Si ſervum te aſcivero, eriſne vir bonus? Etiam*, reſpondit ille, *ſi me ſervum non aſciveris.*

De boni Servi officio non inelegans: hoc eſt: *Aut ſerviat ut ſervus: aut fugiat ut Cervus.*

Quæ res male tractentur.

LEpide quidam tria male tractari dixit, Aves in manibus puerorum. Juvenculas in manibus Senum, & Vinum in manibus Germanorum, qui illud non bibunt aut abſorbent, ſed liguriunt, & tamquam ei collum frangunt.

Alius, male cum his civitatibus agi dicebat, quæ & multis judicibus, & multis Medicis indigerent.

Convivis illud quidam ſolebat occinere: Si modeſti & temperantes eſtis homines, quod vobis appono ſatis eſt; ſi minus, jam hoc quoque nimium eſt.

Nec guloſus, nec avarus.

ARiſtippum Plato reprehendit, quod magnum delicatorum piſcium nume-

rum coëmisset, tamquam id Philosophum minus deceret, Respondente Aristippo sibi hos parvo emptos, subjunxit Plato: Atqui ne viliori quidem ego precio eos emerim. Cui Aristippus: Vides igitur ô Plato, non me gulosum, sed te avarum esse.

Merobibi urbana excusatio.

APud nonnullas nationes mos est vinum antequam bibatur, aqua diluere. Hinc merobibus quidam Germanus in convivio ceteris Baccho vel Nymphas vel lymphas potius admiscentibus, cur idem non faceret, facetè ita se excusavit. Diu jam est quum Astrologum quendam de vitæ meæ fortunis consului. Etsi autem de multis ille me monuit, mihi ut caverem, animo tamen probe adhuc insculptum habeo, illum ob magnum periculum, alioquin certo incurrendum, aquas mihi vitandas præcepisse. Ab eo igitur tempore statui, numquam vinum aqua mistum bibere; ac præceptum istud observando, à periculo illo hactenus rectè mihi cavi, & etiamnum cavebo.

Faceta quædam.

MEdicus quendam, comestis jam piris monebat, ventriculum piris concludendum esse: at ille, nihilominus, inquit, poculum

culum mihi porrigite, nam & post haustum hunc rursus potius pira comedam.

Bonus quidam postquam cibos multo sale & pipere conditos sumsisset, media nocte lecto exsurgens, & capite è fenestra prospiciens, quanta maxime potuit voce exclamavit: *Ad ignem, ad ignem.* Territi hac voce viri accurrerunt: ac quærentibus ubinam arderet? *In mea gula*, respondit, *In mea gula.*

Quidam cæcutiens rogatus, quid maxime visum ipsius offendisset? Malum oculorum, respondit.

Servus quidam quum videret herum suum litterarum fasciculum conscindere, rogavit eum tres aut quatuor ut sibi donaret. Quærenti autem domino, quid iis facere vellet, aut ad quid opus haberet? Quum, inquit, patriam meam relinquerem, rogavit me mater mea, ut litteras quandoque ad se mitterem. Mittam igitur has, quibus te non indigere video. Numquid hic est vervecum ex patria?

Ridiculum.

NOvas ædes quendam construentem, architectus rogabat quo terram egestam transferri vellet. Fossam facite, inquit, & in eam injicite. Tum ille, quo vero terra ex hac egesta reponenda est? Aliam, inquit

quit, fossam tam amplam facite, ut utramque capiat. Acumen hominis!

Ridicula gratiarum actio.

NUncius quidam sive viator à pagi cujusdam Communitate ad Officialem proximæ Civitatis ablegatus erat, ut ei munus quoddam illius nomine offerret. Dicente autem Officiali. *Gratias meo nomine Communitati agito, & dic, ut opera mea ubi necessum est, libere utatur*; respondit ille *Ita faciat quoque vestra Dominatio cum Domina Communitate, quam perpetuo bonam habebitis sororem.*

Quum Princeps quidam per ditionem suam iter faciens, in pago quodam divertisset, incolæ concilio habito, eidem muneris loco nescio quid offerre decreverunt. Ea ergo provincia Prætori & tribus aliis, totius pagi sapientioribus demandatur: qui ubi cum munere comparuissent, & id, ut facile cogitari potest, egregia oratione mirum in modum ornassent: Secretarius, Principis jussu eisdem gratias agit, in fine hæc verba addens: *Dominum suum eis clementem Principem esse & semper futurum:* tum Prætor excipiens, *Et hoc sciat*, inquit, *Dominus noster, nos vicissim ipsius clementes subditos & rusticos perpetuo mansuros.*

Alia

Alia ridicula litterarum inſcriptio.

ANtonius Guevara in epiſtola quadam Comitiſſæ Conſentinæ non minus ridiculum quid accidiſſe ſcribit. Quum enim, mortuo marito, litteris, ut moris eſt, ſubditos de eo certiores feciſſet, & nomen ſuum ita ſubſcripſiſſet, *Mœſta & infelix vidua &c.* illi titulum quoque in reſponſione imitandum ſibi cenſuerunt. Sic itaque exorſi, *Illuſtriſſima & mœſta domina, &c.* eaſdem litteras ita concluſerunt: *Ex mandato Senatus, magiſtratus, & gubernatorum, &c.* addita demum inſcriptione; *Mœſtæ & infelici dominæ noſtræ viduæ.* Sed ineptiarum ſatis.

Carmen quoddam Marcus Laudenſis Clementi VIII. Pontifici legendum exhibuerat, qui vix tertio lecto verſu. Eho, inquit, Marce, verſus hic una ſyllaba juſto brevior eſt. Tum Marcus, *Nihil refert, mox Sanctitas V. alium inveniet, qui tanto ſit longior.*

Aliena non curanda

QUidam è feneſtra proſpiciens; & agaſonem videns aſinum multis ictibus impetentem, hominem inclamat, cur miſerum, animal tam crudeliter tractaret? *Ignoſce* inquit ille, *mihi Domine, neſciebam ego, aſinum meum tanta tibi cognatione junctum, ut tantam ejus curam geras.*

Lites fugiendæ.

ÆRe alieno oppressus quidam quum solvendo par non esset, diu intra limen se continuit, interim vero negotiorum causa absentem se credi volebat. Quum vero re detecta jam inibi esset ut fraudis condemnaretur, ab Advocato sic defensus est: Non mirum videri debere si homo quietis amans, omnem litem subterfugiendam, & propterea latendum sibi aliquamdiu statuerit.

Ut seris, ita metes.

NObilis quædam fœmina ad sacrum audiendum in templum properans, ex homine obvio, qui tamen nobilem habitu se ferebat, è templo egrediente, per irrisionem percunctata fuerat, *utrum Rusticorum Missa jam peracta esset?* Ibi ille, *Etiam*, inquit, *jam vero Meretricum incipit, ideoque properandum tibi intelligo.*

Tosettus Patavinus Philosophus mulieri obviæ via decessit, hac comitate erga illam uti inquiens, quod videret eam, & mulierem & bellam esse. Ibi illa sive fastu elata, sive irrideri se existimans, At tu plane deformis es, inquit. Tosettus, *prius ego*, inquit, *mendacium dixi, jam tu alterum dicis.*

Nobilem virginem juvenculam duo equites

equites ſimul ambiebant, unus valde adoleſcens, alter provectioris ætatis. Præſente puella, adoleſcentior ut ſeniorem pungeret rogabat. *Quot annorum eſſet? Non*, inquit alter, *adeo accurate numerum inivi: id tamen ſcio, aſinum viginti annorum homine ſexagenario longe ſeniorem eſſe.*

Joannes Dux Andegavenſis ad Neapolitanum regnum occupandum proficiſcens, vexillum ſuum ita inſcribi juſſerat: *Fuit miſſus cui nomen erat Joannes.* At Alphonſus ſuum: *Ipſe venit & non receperunt eum.*

Hypocriſis.

OPulentus quidam mercator pauperem obſervarat, qui quotidie precationum libellum & roſarium manu tenens; ſacris intererat, & in omnibus ſingularem devotionem præferebat. Cum eo igitur aliquando colloquutus bonam argenti ſummam ſine ullo chirographo ei mutuo dedit: quam poſtea quum repeteret, ille non modo debitum negavit, ſed ne noviſſe quidem hominem dixit. Hinc mercator ille ab aliis quod tam facile ignoto argentum credidiſſet, irriſus, *At non*, inquit, *Marcus Ravennas* (hoc enim nomen alteri fuerat) *ſed libellus ipſius & roſarium me deceperunt.*

Nullis

Nulla calamitas sola.

M. Paulus Neapolitanus Jurisconsultus, audiens amicum quendam suum consumptis fere omnibus fortunis, etiam ob nescio quod vitium ab uxore exclusum, *Mirum hoc est*, ajebat, *eum qui tam facile Patrimonium consummavit, Matrimonium non posse consummare.*

De Astutia non jactandum.

DUo mercatores de prudentia & sagacitate inter se contendebant. Tum unus proverbium illud vulgare usurpans, Equidem centies, inquit, te ego vendiderim prius quam tu me semel. *Recte autumas*, inquit alter, *neque enim vel obolum quisquam pro te mihi daret.*

Verax.

DE re nescio qua Petro Marzona & Joanne Polito coram mercatorum collegio litigantibus, quum Marzonus caussam suam exposuisset, Politus ad judices. Ne, inquit, vos fidem huic habete: *ego vobis Evangelium* (id est, ipsissimam veritatem) *dicam.* Tum Marzonus, detracto pileo, & aperto capite devotus astitit. Mirantibus judicibus, Quin vos, inquit, idem facitis, dum hic Evangelium nobis legit. Ridiculum.

Fundis

Fundis quidam ornati incedunt.

POmposus quidam venditis ædibus vestes superbissimas sibi confecerat: quem toga damascena indutum, ac valde sudantem quidam conspicatus, alteri commonstrans, Quam hic sudat, inquit! Ibi alter *quid mirum quum tantum onus, totam scilicet domum circumferat.*

Salutatio jocosa.

PHilippum Beroaldum quidam obvius ita salutavit: *Deus det vobis bonum sero*, Cui Beroaldus: *Et vobis malum cito.*

Capilli cur citius quam barba canescant.

DOctus quidam homo ad Principem vocatus, & variis de rebus interrogatus, tam sapienter ad omnia respondit ut omnibus esset admirationi, præsertim quum non admodum provectæ ætatis videretur. Tandem Princeps, quot natus esset annos, rogat: ille quinquaginta jam se implesse dicente, Princeps, Quî fit, inquit, quod nondum canescas? Tum ille detracto pileolo, quo caput hactenus tectum habuerat, canos ostendit: quos miratus Princeps, At quid hoc rei sit, inquit, quod in barba tua vix ullum canitiei appareat vestigium? Nihil mirum, inquit alter, quum barba viginti annis junior sit capillis.

Unus inimicus nimis.

CIvem quendam Cosmus Medicæus monebat, ut cum inimico quam primum in gratiam rediret. Quum ille diceret se hominis ejus inimicitiam non multum curare, ut qui præter hunc, neminem inimicum haberet: Cosmus, Quin tu, ait, consilio meo morem geris? Nam potentibus quoque unus hostis nimis, & vel centum amici parum sunt.

Paradoxum.

PRosper quidam pauperes ingluvie, divites fame, & clericos frigore perire dixit. Hoc vero sic explicabat. Quando pauper aliquis in morbum incidit, statim omnes cognati & propinqui alius hunc alius alium cibum congerunt: unde ille inusitatarum deliciarum avidus, ita sese implet, ut stomacho nimium gravato, cruditate tandem moriatur. At divites ad evacuandas superfluorum ciborum reliquias tam tenui ac rigida diæta à medicis constringuntur, ut debilitatem inde contractam vix umquam restaurare possint. At clericis, qui nec conjuges nec liberos hæredes habent, quam primum ægrotare incipiunt, famuli, domestici, vicini, cognati & vestem qua se tegunt, & lectum in quo cubant, vivis etiam

etiam ac videntibus auferunt, ut ita miseri frigore mori cogantur.

Ne certa pro incertis.

IMperator Maximilianus I. à Rege quodam ad fœdus contra alium Principem invitatus, hac conditione ut illo victo plane & profligato, opulentissimus quidam Ducatus Cæsaris esset, sic respondisse dicitur. In Germania nostra tres fuerunt robusti juvenes, qui quum in caupona quadam dies aliquot noctesque genio indulsissent, hospiti promiserunt, se symbolum ipsi soluturos è precio pellis cujusdam ursi, qui toti viciniæ multum damni dabat: ad quem capiendum jam jam sese accingebant. Sic igitur in sylvam profecti, paullo post ursum obvium habuerunt: quo conspecto, tantus eos metus invasit, ut é vestigio quisque quà poterat, diffugeret: unus tamen quum evadere se non posse cerneret, humi sese tamquam mortuum prostravit. Adest mox ursus, & admotis naribus, an vitæ aliquod in eo vestigium aut signum superesset, explorat, quo non reperto, intactum hominem relinquit & abit. Liberatus ille hoc periculo surgit, & paullo post ad socios, qui hæc eminus conspexerant; venit. Rogatur quid ipsi in aurem insusurrasset ursus: Hoc, inquit, ne prius pellem

ego

ego vendam quam feram ceperim. Hoc cum reſponſo legatos dimiſit, monens, prædam non dividendam prius eſſe, quam hoſtis ſit profligatus.

Tributa odioſa.

CArdinalis quidam apud omnes gravi odio laborabat, quod Pontifici novarum contributionum ac vectigalium auctor vulgo crederetur. Quum vero coram Pontifice & quibuſdam ſecretioribus Conſiliariis pecuniæ conficiendæ rationes inirentur, quidam ex his Cardinali parum æquus; Equidem, inquit, Sanctiſſime Pater, nullam ego meliorem citra omnem ſubditorum querelam, immo cum ipſorum quoque gaudio colligendæ pecuniæ rationem noverim, quàm ut Armellino (id enim Cardinali nomen) pellis detrahatur, & per ditionem veſtram ut luporum pellibus fieri ſolet, circumferatur. Neque enim dubito quin ſubditi omnes pro ea ſaltem inſpiciunda, ſtipem ultro ſint collaturi. Nihil commotus Armellinus, bene, inquit, eſt, quod tua ipſius confeſſione etiam mea mortui pellis alicui uſui eſſe poteſt: de te vero id ego certo ſcio, nec vivum nec mortuum te cuiquam uſui futurum.

Fortu-

Fortunæ lusus.

QUum ad Cosmum Medicæum litteratus quidam, sed male admodum vestitus venisset, stipem ab eo petens, Cosmus inter alia percunctabatur, cur tam pannosus incederet. A latronibus spoliatum se dicenti, Credibile magis est, inquit Cosmus, forsan lusu vestes & nummos perdidisse. Excipiens scholaris. Fateor ait: & in hoc quidem lusu tam meam quam multorum aliorum partem fortuna tibi, ut video, adjecit: significans scilicet, divitias esse quasi fortunæ lusum, quæ quod uni eripit, alteri confert. Argutiam hujus responsi miratus Cosmus, hominem & nova veste; & honesto viatico donavit.

Sollicitudo.

IMperatore in Italia bellum gerente, Antonellus quidam Foroliviensis, militum ductor clam antequam ad manus veniretur sese subduxit. Hic quum postea in Cosmi Medicis familiam receptus esset, & Astor quidam ejus solicitudinem sæpe deprædicaret, Cosmus tandem inquit, Sane solicitudinem ille suam satis demonstravit, ante tempus fugiendo.

Hominum perversitas.

QUidam in Balnea iturus, mendico stipem petenti nummum dederat. Id con-

spi-

ſpicatus comes ejus, paraſitus, Cur tu inquit, huic pecuniam das, qua ipſi nos indigemus? Ego,inquit ille,ut precibus ejus adjutus, & ſimul divinæ obſequens voluntati, tanto facilius ad cœlum evolem. Cui ille, Tum ſane tu ſtultus es, qui plus ſumptus in balnea, ubi tantum unam aut alteram horam manſurus es, quam ad cœlum ubi in æternum manſurus ſis, conſequendum facis.

Mors odioſa.

MOrtem quidam dixit, quum Jupiter eam in terram ad homines mittere vellet, diu provinciam hanc deprecatam eſſe, ut quæ ſciret quam odioſa omnibus mortalibus futura eſſet. Tum Jovem, ut confidenter iret, neque odium formidaret, hortatum eſſe: facturum enim ut eo ipſo magna ex parte liberetur, mortis cauſſis varias, atque etiam minimas in res translatis.

Clementia Principi propria.

ALphonſus Rex ob nimiam manſuetudinem & clementiam à quodam reprehenſus, Tu, inquit, expecta dum Leones & Urſi regnaverint: ego quidem illud ſcio clementiam homini, ſed inprimis Principi; crudelitatem vero beſtiis convenire.

In tyrannos vel imperium affectantes.

SEnis in Italia ſex viri olim creari ſolebant, penes quos ſumma erat Reipublicæ: eorum tamen magiſtratus bimeſtris tantum erat. Moris vero erat ut ſinguli unum diem in collegas haberent imperium, eoſq; certis & ad id deſtinatis locis convenire, ac de rebus propoſitis conſultare juberent. Eo die finito, is qui præſederat, quaſi ſe abdicans, alteri imperium unà cum eburneo quodam ſcipione, imperii inſigne tradebat, plerumque tam ad iſtum quam alios collegas accommodata ad rem oratione utens. Accidit vero ut quo tempore Pandulphus Petrutius per ſummam aſtutiam Rempublicam invaſerat, ut è Boninſignorum quidam familia è ſex viris unus, poteſtate illa quodam die perfunctus, collegæ imperium reſignarit, & poſt elegans exordium in hanc narrationem delapſus ſit: quomodo ſcilicet Satanas, poteſtate à Deo accepta, pium illum Jobum armentis, ſervis, ædibus, filiis, ac tandem ipſa quoque corporis ſanitate privarit, nec quicquam ipſi reliquerit quam uxorem, non in ſolatium, ſed ad majus tormentum, ut ſcilicet ſua importunitate omnes illas calamitates miſero Jobo multo magis exaſperaret. Iiſdem, inquit, artibus Pandulphus Petrutius, poſtquam omnem

omnem publicam auctoritatem & potestatem in se transtulit, publicos reditus omnes & vectigalia sibi vindicavit, & ut uno verbo dicam, Rempublicam nostram pessumdedit, & quasi in tyrannidem convertit, hanc saltem nobis publici imperii speciem reliquit, non ut dignitati nostræ & honori deserviret, sed ut dolorem miserorum civium multo magis incenderet & aggravaret: quare quidem ego jam me abdico, eamque in hunc collegam nostrum, qualis ea ab illis nobis relicta est, transfero. His dictis, tacuit, & omnium in animis acerbam de præsenti rerum statu cogitationem reliquit.

Ita contende, ne amittas.

DUo asinum forte fortuna sine hero vagantem repererant. Utroque vero suum esse contendente, interim asinus inanis subduxit se, & uterque domum inanis rediit.

Pietas rara.

BIas à quodam quid Pietas esset interrogatus, nihil omnino respondit. Tandem illo responsum valde urgente, *Quid*, inquit, *tu de rebus nihil ad te attinentibus quæris*?

Idem cum flagitiosis quibusdam navigans horribili orta tempestate, omnibus vota fa-

facientibus, & clara voce Deos obtestantibus Submissius, inquit, aliquanto loquamini, ne Dii vos hic esse sentiant.

Facetum Gonellæ dictum & factum.

GOnella Italus; omnes inter sui temporis sanniones & facetos homines primas tenens, cum Nicolao & Ferrariæ Marchione frequenter versabatur. Habebat vero equum admodum parvum, cui Marchio clam caudam abscindi jussit. Mox Gonella mulis aliquot, qui ibidem stabulabantur, superius labrum discindit. Appellatus Gonella, nihil omnino sese excusavit, sed tantum ut damni fieret æstimatio petiit. Quæ ut commodius fieret, muli primum, deinde Gonellæ equulus ita ut erat decurtatus, producti sunt, maximo cum omnium, & ipsius inprimis Marchionis risu. Tum Gonella ad Marchionem & ceteros, Quum, inquit, nemo vestrum in hoc spectaculo risum tenere possit, an existimatis mulos hos quotiescunque caballum hunc meum ipsis tam familiarem, cauda privatum aspiciunt, risum tenere posse? Hic omnibus in multo majorem risum solutis, Gonella absolutus, & facetissimus omnium homo judicatus fuit.

Et fugiendum & agendum.

LAurentius Medicis à familiari rogatus, cur ſomnum in multam lucem produceret, Quid tu, inquit, ergo mane agis? Quum ille neſcio quæ negociola à ſe confecta memoraret, Laurentius ait: At quæ ego mane ſomnio, pluris ſunt iis omnibus quæ tu mane agis.

Mercatorum fides.

QUum de mercatore quodam magnæ inter ſuæ profeſſionis ſocios fidei, ſed extremæ avaritiæ ſermo incidiſſet, Joannes Medicæus, Ecce, inquit, ſingularem Dei miſericordiam, patientis ut ei qui in ipſum non credit, omnes homines ultro credant.

Divitiæ injuſtæ.

DIcere quidam ſolebat, Beatos in his terris illos eſſe, quorum patres in inferno ſepulti ſint, innuens eos quibus parentes multas divitias, quæ plerumque uſura & aliis ejuſmodi artibus comparantur, reliquerunt. At plerumque *male parta, male dilabuntur.*

Stultos fuge.

COſmus Medicæus dicebat, à ſtultorum ſive morionum & id genus hominum conſortio & colloquio omnino abſtinendum,

dum, ut qui cuicumque, nullo habito respectu, male faciant aut dicant.

Venetiis ad nobiles quosdam in foro D. Marci obambulantes quidam accessit, stipem rogans, addita promissione insignis cujusdam & saluberrimi remedii, quod communicare cum ipsis velit. Acceptis hinc aliquot nummis, singulis filum quatuor ulnas longum reddit, suadens, ut quemcumque stultum ad se propius ne accedere paterentur.

Idem Cosmus cuidam jactanti, quod sua opera à præsentissimo vitæ periculo conservatus esset, Si, inquit, periculum illud tu cum aliis prius mihi non creasses, idem à me depellere nihil necesse habuisses.

Idem alii in Senatorum numerum recipi cupienti, ac dicenti eo se honore dignum esse, ut qui nunquam quidquam contra Rempublicam tentarit, sic respondit: *Qui non est mecum, contra me est*. Rempublicam enim ad Principatum redegerat Cosmus.

Odore pastus, sono solvit.

VIator in diversorium serius aliquanto veniens, jam reliquis hospitibus cœnantibus, & nihil reliqui facientibus, noctem illam ita uti venerat famelicus transegit. Mane quum abire vellet, hospes

 adest,

adeſt, & ſymbolum ſibi ſolvi jubet. Quid? inquit ille, an quidquam ego ſolvam qui nihil omnino cibi deguſtavi? At odore, inquit hoſpes, paſcere te potuiſti. Bene, ait alter: & prolato è pera ſcutato, & in abacum quaſi ſonitus explorandi gratia projecto, Quid tibi videtur, inquit: an bona hæc eſt moneta? Videtur, ait hoſpes. Ergo, inquit, pro cibi tui odore ſonitum mei nummi pro ſymbola cape: ſicque abiit. Cretenſis cum Cretenſi.

Patria non Vituperanda.

PErettus Mantuanus, Philoſophus acutiſſimus, facetus etiam, ſed neſcio quam ob cauſam à patria valde alienus, auditoribus aliquot præſentibus, Mantuanos natura ſtupidos eſſe, & ad doctrinam capiendam parum aptos dixerat, uſus ad id probandum vulgaris tùm proverbii teſtimonio. Tum ex auditoribus quidam: Ne hoc Dii ſciverint, magiſter, inquit, ut quod jocando forte dicis, verum ſit: niſi forte tu nothus patriæ & plane degener videri velis.

Nemo ſine crimine.

MOtta homo eruditus, ſed à Natura altera manu privatus, à Legatione quadam rediens, & Pontifici quæ egiſſet exponens,

ponens, ſæpius à Cardinali quodam interpellatus ubi alterum reliquiſſet brachium, quum fere jam peroraſſet, Sancte Pater, inquit, nemo eſt omnium hominum quin defectum aliquem patiatur. Aliquibus ſine pedibus, quibuſdam ſine manibus, nonnullis etiam ſine cerebro naſci contingit. Atque ita Cardinalis illius ſtuporem ſatis acerbe perſtrinxit.

Ars imperandi.

ROgatus quidam; quî fiat quum nemo facile alicujus etiam levis artis quam non didicit, ſcientiam venditat; & ars imperandi longe omnium ſit difficillima: omnes nihilominus imperare cupiant? id eo fieri reſpondit, quod qui imperare neſciunt, pro ſtultis habeantur, nemo vero ſit qui ſibi ipſi ſtultus videatur.

Stultus.

PArasitus cuidam quærenti, cur ſtultum ſe fingeret, quum tantum aut forte etiam plus quam qui valde ſapientes ſibi videntur, ſaperet: In hoc, inquit, male mecum fortuna agit, quod ego quanto ſtultiorem me fingo, tanto ſapientior habeor; è contra filius meus, quanto magis laborat ut ſapiens habeatur, tanto ſtultior omnibus videtur.

Stratagema parasiticum.

Famelico cuidam in taberna minuti pisciculi, aliis vero non procul inde sedentibus majores pisces erant oppositi. Tum ille unum & alterum, quasi percunctaturus aliquid auri admovit. Mirantibus quid hoc sibi vellet, Pater, ait, meus piscator fuit, & olim in flumine periit. Ex his igitur quid illo factum sit, sciscitari volui: at eum sese novisse negant, utpote juniores; & si quid certi scire velim, ex majoribus illis exquirere jubent.

Jocus in Judæum.

JUdæus quidam S. Joannis Apostoli effigiem argenteam Alphonso Regi licitanti eam quingentis ducatis æstimavit sive indicavit. Tum Rex, Heu, inquit, quantopere tu à majorum tuorum moribus degeneras? Illi enim herum & magistrum triginta denariis vendiderunt, & tu discipuli effigiem quingentis ducatis æstimas.

Nihil cum flagitiosis.

QUidam nescio quod ob maleficium, virgis per urbem cæsus ducebatur. Quum vero is tarde admodum incederet, quidam miseratione ductus, hominem increpavit, dicens: Quid tu, miser, tam lente velut animi gratia ambulans, incedis? Quin potius

tius grandibus is gradibus, ut tanto citius doloribus tam crebrorum ictuum libereris? Ibi trium ille litterarum homo consistens, quam potest alte exclamat: Quid ad te atti net, bone vir, lente ego vel velociter eam? Ego jam meo modo incessero: tibi, si quando itidem virgis ita cædaris, tuo quoquo modo incedas licet.

Astrologiæ vanitas.

QUodam discipulis suis stellarum & inprimis planetarum sive errantium stellarum cursum demonstrante, Julius Faventinus, At illi, inquit, nequaquam errant, sed vos.

Bona dos mulierum, multi anni.

QUum de matrimonio quodam sermo haberetur & sponsam alius tot, alius vero plures habere annos dixisset, quidam, Quanto plures, inquit, habet annos, tanto meliorem habet dotem.

Sitis remedium.

FEbri quidam calidissima ac proinde magna siti laborans, medicis de remediis contra sitim consilio conferentibus, *Vos*, ait, *febri remedia quærito; siti ego remedium facile ipse invenero.*

Præſentibus utendum.

PEtrus Marcus Senenſis amicum cœlo admodum turbido & non pluvias tantum, ſed grandinem quoque minante, iter facientem amantiſſimis verbis ut in ædes ſuas quoad præteriiſſet tempeſtas, diverteret, invitarat, is vero nihilominus iter proſequens quum vix octavam milliaris partem emenſus eſſet, tam effuſo imbre tamque turbulenta tempeſtate exceptus fuit, ut pergere amplius non poſſet. Reverſus igitur ad Marci villam fores pulſat; ac proſpicienti è feneſtra Marco, *Amice*, inquit, *prius illud meum propoſitum mutavi: & Ego meum*, reſpondit Marcus: ſtatimque ſe ſubduxit, ſic illi alibi hoſpitium fuit quærendum.

Judex indoctus.

COram judice quodam duo de hæreditate contendebant, uno tandem dicente; *hanc defuncti voluntatem non eſſe*, judex, Quid opus eſt, inquit, diutius litigare! vos *Defunctum* illum cras adducite, ut è præſenti quid velit exquiram. Exiſtimabat *Confunctus* hic, *Defunctum* teſtatoris eſſe nomen, & eum adhuc vivere. Utinam hodie quoque ejuſmodi hominibus judicia & publica munera non committerentur.

Juſtitia

Justitia aquæ similis.

NOn inſcite quidam Juſtitiam Aquæ comparat. Sicut enim Aqua à curſu ſuo impedita, obſtacula quævis rumpit, ac obvia quæque ſecum rapit, aut undiquaque ſtagnans omnia operit: ita Juſtitia ſibi obſiſtentes tandem in certiſſimum exitium devolvit.

In ſimulatorem.

PRinceps quidam Italus, ex gentis more, perſonatus ſæpe diſcurrebat, ac quamvis etiam vili & abſurdo maxime habitu indutus, plerumque tamen ab iis quibus occurrebat, agnoſcebatur. Id ægre ferens, Petrum Paulum Codonum, mordacem hominem, rogavit, anne modum aliquem ſciret perſonam ita tegendi, ut à nemine agnoſceretur? Adſtabat Joannes Palmerius, homo aſtutus & verſipellis. Tum Codonus, *Optima*, inquit, *ratio fuerit, ſi agnoſci nolis, Ioannis Palmerii aſſumere perſonam.* Aſtutum illius & rectum animum ſignificans.

In Cauſidicos.

ADvocatus quidam, poſt multas in foro victorias, vitæ monaſticæ nomen dedit. Quum vero monaſterii negocia procurare juſſus, cauſſa fere ſemper caderet, miranti-

bus fratribus, necesse est, inquit, ut alium meum in locum substituatis. Quia enim mentiri & falsum dicere jam dedidici, exigua sane spes est me ulla in caussa superiorem futurum.

Mulier inani spe ditescendi inflata.

MErcatum ad urbis proximæ profectura
Rustica ferebat; Pascha circiter, plenum
Ovis quasillum: læta jamque tum lucro,
Factura certò quod sibi videbatur,
Sed nondum habebat, cogitatione, ut fit,
Inter vias fingebat aureos montes
Sibi, ratiocinata in hunc modum: Dextra
Plena ære multo mihi domum revertetur,
Bene collocetur, ovis emetur, hæc anno
Vertente tantum, spero, mî dabit quæstum,
Ut comparari fœta eo queat vacca:
Fœcunda pariet hæc brevi gregem armenti
Numerosum: & auro me beabit ex lacte,
Caseoque, butyroque, quod forum plena
Manu refundet. Nobile inde equorum par
Hoc ære commercabor. At solum, tanto
Studio exaratum, fructuum feret magnam
Vim. Prata, silvas, vineas dein nummo
Præsente coemam. Læta denique in tanto
Proventu & opibus delicatam agam vitam.
Convivia apparabo: non ibi cantor,

Psal-

Psaltesve deerit. Cum marito ego restim
Saltabo ductans: jo, Evoe, Evoe, ô Bacche,
Hæc mente volvens, corbis & sui oblita,
In gyrum agebat corpus, & pede alterno
Terram feribat, corbis it: cadunt ova,
Et fracta ad unum decolorem humum pin-
gunt.
Stupet illa, inopsque consilii omnis: Er-
go, inquit,
Grave ingemiscens, somnium puto vidi
Vigilans, eadem dives atque inops hora.

Humana astutia diabolicam sæpe superat.

ANdreas Lucardus cuidam objicienti quod hypocrisim ab ipso didicisset, talem fabulam narravit. Fuit monachus quidam, qui jejunii impatiens, quum nihil aliud suppeteret in cella sua, ovum candelæ admotum tamdiu versavit, donec percoctum esset. Id quum Abbas per rimam introspiciens vidisset, cellam ingressus, monachum acerrime increpuit: qui excusans se ajebat, dæmonis subtilitate hanc tam malignam peccandi rationem sibi commonstratam. Ibi dæmon qui sub mensa latitarat, proripiens sese: Mentiris ait, pessime: hanc enim nequitiam non tu à me, sed ego à te didici.

Hospites quomodo ejiciendi.

IN monasterium quoddam duo monachi, negocii quod apud ejus loci Episcopum habebant, caussa diverterant. Quum vero diutius ibi moram traherent, cœnobii præfectus Episcopum adit, ut illi expedirentur rogans, quod fere quotidiani ejusmodi hospites monasterii jam ante exiguis facultatibus nimis graves essent; DicenteEpiscopo jamdudum illos à se expeditos nec diu forsan hæsuros, præfectus discessum illorum indies exspectabat. Quum vero animadverteret, profectionem ipsis cordi non esse: Platonem Episcopi familiarem adit, & consilium ab eo exquirit,Plato re intellecta, ad præfectum ait: Scis domine, immundorum spirituum duo esse genera, quorum unum in nomine Domini, alterum non nisi in oratione & jejunio ejiciatur. Quandoquidem ergo hi, ut videtur, ex primo genere non sunt, crediderim sane ex altero esse genere,ac propterea iis remediis contra eos utendum quæ ibi præscripta sunt, præfectus rem intelligens, prædictis monachis eo vespere cœnam non præbuit: sicque effecit ut illi summo mane in viam sese dederint.

Ablatum

Ablatum raro redditur.

SAthanas dæmoniolum quoddam castigavit, quod jamdiu quendam quem ad furtum faciendum induxerat, observasset: ne ablatum ille redderet, ajens: satis fuisse quod furtum ipsi persuaserit, neque enim eum qui alteri quid abstulerit facile, ac non nisi coactum id redditurum.

Caussa amissi imperii.

MAtthæus Vicecomes Mediolanensis à Guidone Turrio urbe ac toto imperio ejectus, Nagatolæ in ditione Veronensi aliquamdiu satis misere, utpote ab omnibus desertus, vitam sustentavit. Ad eum aliquando Guido legatos misit, qui tria hæc explorarent, Præsentem vitæ conditionem, spem reditus, tum tempus; legati quum eo venissent, Matthæum placide ad Athesis ripam inambulantem offenderunt: & mandatis expositis, responsum ab eo petierunt, Ad hæc Matthæus: Quid rerum jam agam ac vitæ meæ conditionem coram videtis, Imperii recuperandi spem nondum me abjecisse, Guidoni dicite. Ad tempus quod attinet, id tum futurum, quando Turrii atque ei adhærentium peccata meis sunt præponderatura.

Par pari.

GAleatius Sfortia Dux Mediolanenſis ad Bartholomæum Colionum celeberrimum Veneti exercitus ducem, vulpem cavea incluſam miſerat: innuens ſcilicet veteranum quidem & aſtutum eſſe militem, interdum tamen, ut eſt in proverbio, etiam vulpem capi. Tum Colionus ſtatim avim quandam (quod genus avium pro falconibus pueri principum geſtare ſolent) nolis argenteis & catenulis mire ornatum remiſit. Indicare volens, Galeatium juvenem temerarium nec tanto imperio parem eſſe, imo vix quidquam Principis præter ſpeciem habere.

Nemo ſine crimine.

CArolus V. Imperator multis proceribus Hiſpanis comitatus, tabernam quandam præterequitans, ante quam multi Germani milites, ſtantes, ſedentes, hilariter bibebant; commonſtratis aliquot, cuidam ex comitibus ait: Annon Germani hi ut & plerique alii, ſingulari corporis atque animi robore præſtare tibi videntur; Hoc nemo negare poteſt ait Hiſpanus: unum tamen mihi vehementer diſplicet, quod tam immodice vino ſeſe ingurgitant. Et hoc verum eſt, inquit Imperator: ſed an

tu

tu nescis quibus vitiis Hispani laborent? Ut enim illi vini, ita hi alieni sunt avidi.

Aliud (si non idem) de hoc eodem Imperatore narratur. Quum enim nescio quo bello quidam eum accessissent, monentes ut Germanis interdiceret ne sese inebriarent, Imperator, Hoc idem, inquit, erit ac si Hispanis interdicere velim ne furentur.

Jocus militaris.

IN Regis Alphonsi exercitu quidam Rostrus nomine militans, rubrum pileum in modum gallinaceæ cristæ efformatum gestabat. Huic excubias agenti aliquando Rex, illudere volens, ajebat: Quando tu galle tandem hoc mane cantabis? Tum Rostrus, male inquit, mane cantat, qui vesperi cœnatus non est. Cujus dicti festivitate delectatus Rex, bono Rostro vestem dedit novam & versicolorem, ut non nomine tantum sed habitu quoque gallum repræsentaret.

Ministri heris ditiores.

PRincipe quodam de rei nummariæ defectu quærente, astantium quidam ait: Equidem consilium V. Cels. dederim, ut Cancellariatum, Quæsturam, aut aliud ejusmodi officium aliquamdiu usurpet, neque enim dubito quin V. Cels. intra breve

tempus

tempus magnas inde adeptura sit divitias.

Terra omnium mater.

AD Gotofredum Bullionum, expugnatis Hierosolymis, & tota fere Palæstina subacta, vicini Reguli certatim dona adferentes, quum ipsum simplici veste indutum, sine ullis Regiæ dignitatis insignibus, in terra sedentem vidissent, vehementer admirati sunt, existimantes nequaquam tanti imperatoris dignitati convenire, ita fere nudum, humi sedentem, ab omnibus conspici. Id quum interpres Regi indicasset, subridens Gotofredus vicissim eis indicare jussit, Nemini turpe esse, terræ insidere, ut è qua universum hominum genus prodierit, & eodem sit reversurum.

Raro meliora succedent.

MOrtuo quodam excellentis doctrinæ & virtutis Cardinali, quum N. eam dignitatem homini hisce rebus parum instructo datam vidisset, Noster, inquit, Pontifex jam facit quod rustici facere solent, qui fracto aut amisso cultro, in vaginam interim, ne corrumpatur, lignum pro ferro condunt.

Summa quisque petit.

JUlio III. qui Cardinalis de Monte antea dicebatur, sutor Pontificias crepidas induens,

duens, quum eas nimis anguſtas pro pedis modulo eſſe dixiſſet, ac propterea eas reſarcire & ad Pontificis pedem aptare vellet: Tu vero, inquit Pontifex, ſtrenue calceos hos meis pedibus indue, quibus mihi commodiores nullus unquam ſutor confecit.

Quatuor mala ex quatuor bonis.

QUatuor bonæ matres, quatuor peſſimas filias parere ſolent: *Veritas Odium, Proſperitas Superbiam, Securitas Periculum, Familiaritas Contemptum.* Hanc ſententiam è fatuo in Gallia audiviſſe ſe teſtatur Marcellus Virgilius, quæ profecto vel ipſo Thalete aut Salomone digna eſt.

Idem facete, *Senes, aures in ſinu, pedes in manibus, & dentes in cingulo portare dixit.*

Aliud Regem, aliud privatum decet.

ALphonſus Aragoniæ Rex à Conſiliario quodam reprehenſus, quod contra omnium fere ſenatorum ſententiam bellum ſuſcipere decreviſſet, Oportebat, inquit, Conſiliarios Regis aut ipſos Reges eſſe, aut certe animum Regis habere: ſiquidem multa conſiliariis & hominibus privatis conveniunt, quæ Regi non conveniunt: Et Parmenoni licet, quod Alexandro non licet. Illud ſane certum eſt, *talem plerumque eſſe Principem, quales illi quos circum ſe habet.*

Na-

Natalium obſcuritas nemini probro eſt.

QUum præſente Alphonſo Rege de Nicolao Picennino ſermo incidiſſet, & in illo alius rei militaris peritiam, alius qua apud milites valeret auctoritatem, alius fortia facinora, alius denique aliud laudaret: quidam imaginariæ nobilitatis opinione inflatus, hæc omnia, inquit, fortaſſe aliquid eſſent, ſi lanionis (ita enim perhibebatur) non eſſet filius. Tum Alphonſus, *Equidem malim*, inquit, *Nicolaus Picenninus eſſe quam Regum quorundam filius*. De Picennino quidem ſic Æneas Sylvius: *Picenninum lanionis filium quaſi regem noſtra ætas venerata eſt.* Hanc in ſententiam poëta.

Malo pater tibi ſit Therſites, dummodo tu
ſis.
Æacidæ ſimilis, Vulcaniaque arma capeſ-
ſas.
Quam te Therſitæ ſimilem producat Achil-
les.

Impudens petacitas eluſa.

AD Alphonſum aulicus quidam venit, in ſomnis viſum ſibi narrans, ſacculum aureis plenum à Rege ſibi donatum, Cui Rex; *An neſcis ſomnis Chriſtianos nihil tribuere?*

Eadem arte Papa quidam Cervæ Epiſcopum

copum elusit. Quum enim is diceret, famam spargi, Sibi à Pontifice urbis prefecturam demandatam, *Scis*, inquit Pontifex, *famam tam ficti quam veri nunciam. Falsam quidem esse tu re ipsa experieris.*

Quod firmissimum imperii columen.

LUdovicus Sfortia Dux Mediolanensis, Ludovico XII. Franciæ Rege expeditionem contra ipsum adornante, Saccum Cancellarium suum interrogavit, si forte contingeret ut à Rege obsideretur, quanam in re potissimum post Deum fiduciam collocare deberet? *Subditorum*, inquit Saccus, *amor & benevolentia tutissimum est in omni adversitate perfugium.*

Similiter Alphonsus Rex monitus, ne ita solus, sine ullo satellicitio, prodiret, ac populo se crederet: *Nequaquam*, ait, *solus ego ambulo, sed mea me comitatur integritas & æquitas.* Dissimilis hic valde fuit multis Principibus, qui metui quam amari pulchrius ac suæ magnitudini magis decorum existimant. Sed illi hoc Ciceronis cogitent: *Malus custos & magister diuturnitatis est metus.* Idem ex Ennio: *Quem metuunt, oderunt: quem quisque odit, periisse expedit.* Idem alibi; *Qui se metui volunt, à quibus metuuntur, eosdem metuant ipsi necesse est: nullaque adeo vis imperii tanta est quæ premente metu, possit esse diuturna.*

Id autem verum esse, supradictus Sfortia suo probavit exemplo. Hausta enim ex illis Cancellarii verbis, affectati ab ipso imperii suspicione, ut quem subditis ob æquitatem, charissimum esse non ignoraret, eundem capitis supplicio affici jussit: quod quidem ille magna constantia subiit, & exprobrata Duci crudelitate, his verbis extremum ei Vale dixit, vel futurum potius prædixit: *A me il capo, à te il stato*, id est, Mihi quidem jam caput adimitur, at tu mox universa ditione & imperio exuêris. Quod & postea factum est, Mediolano à Franciæ Rege expugnato, & Sfortia Duce in miseram captivitatem abducto.

Marte, non fraude.

IDem sæpe dictus, sed numquam satis laudatus Rex, quibusdam Francisci Sfortiæ, qui cum bellum gerebat, clandestinis artibus Ducatum tollendi consilia ineuntibus. *Numquam*, ait, *placuit mihi victoria quam ignominia & pœnitudo sequitur*. Quod si ab ejusmodi consiliis non desistatis, equidem faxo ut quantopere mihi ea displiceant, ipso facto sentiatis.

Idem Rogerio Pallantiæ Comiti ad Joannis Castiliæ Regis cædem sese offerenti, Mihi, inquit, licet non dicam Castiliæ, sed universi orbis imperium hoc modo acquirere

re poſſim, nemo tamen perſuaſerit, ut in tam turpe ac deteſtabile facinus conſentiam.

Singulare filii erga patrem modeſtiæ exemplum.

FErdinandus Alphonſi vere Magni Pater, mortis horam non procul abeſſe animadvertens, Alphonſum filium ita alloquutus eſſe dicitur: Non ignoro, mi fili, omnia regna mea, quibus quamdiu Deo viſum eſt præfui, tibi tamquam primogenito deberi: velim tamen ut te non abnuente fratri tuo Joanni Caſtiliæ regnum tradere mihi liceat, Hoc ut à te me impetrare ſinas peto, ac ſi pateris, rogo etiam atque oro. Ad hæc Alphonſus: Scio, mi pater & domine, omnia hæc regna, immo omnia fere quæcumque habes, mea eſſe, ita tamen ut ea omnia favori tuo & bonæ voluntati accepta referenda intelligam, eoque ſemper, atque etiamnum paternum tuum animum ac voluntatem ei quod ratione primogenituræ mihi competit juri prætuli. Quod ſi ergo pro ſingulari tua ſapientia exiſtimas, regna hæc à fratre meo commodius ac melius quam à me gubernari poſſe, non abnuo quin omnium eum hæredem ac dominum inſtituas, ego tam in hac quam in aliis rebus omnibus voluntati tuæ non ſecus quam ipſius Dei manda-

to

to morem geram. His auditis, ſenex obortis lachrymis, filium amplexus, tanto quietius poſtea é vita diſceſſit.

Rara avis.

QUum Alphonſus immatura adhuc ætate regnum iniiſſet, Senatores ac proceres eum adierunt, ſignificantes, utile atque adeo neceſſarium ſibi videri ut ſeptem viri qui Deum metuerent, Juſtitiam amarent, cupiditates ſuas frænarent, nec ullis donis aut muneribus corrumpi ſe ſinerent, ipſi adjungerentur, quorum conſiliis in adminiſtrando Regno uteretur. Conſilium hoc probavit Alphonſus, & ad proceres converſus, Si, inquit, non ſeptem ſed unius ejuſmodi viri mihi cepiam feceritis, equidem non tantum regni adminiſtrationem ei ultro tradam, ſed regno quoque cedam.

Animi noſtri origo.

IDem Davalo é proceribus uni, quærenti, quî fieret quod anima hominis numquam quieſcere poſſet, ſed ſemper ab uno ad aliud tenderet? Anima inquit, noſtra originem ſuam à Deo habet: nec prius quieſcere poteſt, quàm eo unde orta eſt, redierit: nec vero caducis his & fluxis rebus umquam ſatiari poteſt, ſed Deum ac cœlum, tamquam proprium ſibi & naturalem locum

locum, petit & desiderat. Quid magis Christianum dici posset? Nec mirum hoc in tali Rege, qui quater decies sacra Biblia, cum Commentariis, sibi perlecta vere gloriatus est.

Magnanimum responsum sæpe magis prodest quam obest.

ADolphus Comes Nassovius, qui Anno M. CCXII. ad Imperatoriæ dignitatis fastigium evectus est, cum Brabantiæ Duce bellum gerens, quinque eo bello interfectis præcipuis Brabantiæ magnatibus, tandem captus, & ad Ducem adductus fuit, Eum Dux, torvum intuens, rogabat, *Quis tu es?* Adolphus, sum inquit, Comes Nassovius. *Sed quis tu es?* Tum Dux: Brabantiæ Dux sum, quem tu bello jamdiu vexasti. *Miror ergo*, ait Adolphus, *te gladium meum effugisse, quem sane contra te acueram.* Hoc Magnanimo captivi etiam responso motus Dux, Adolphum non liberum modo dimisit, sed rogatum quoque ut amicus sibi posthac esse vellet, multis donis & muneribus ornavit.

Imperatoris hujus symbolum fuit: *Præstat vir sine pecunia, quam pecunia sine viro. Animus est qui divitem facit* Quod quidem ex illo Themistoclis desumptum videtur, qui utrum diviti & fatuo, an pauperi & prudenti

prudenti filiam elocare mallet, rogatus; *Malo*, inquit, *virum pecunia, quam pecuniam viro indigentem.*

Recte Horatius:

Quod satis est cui contingit, nihil amplius optet.

Et in Odis idem:

——— Bene est cui Deus obtulit,
Parca quod satis est manu.

Nec minus sapienter Seneca: *Quemadmodum nihil refert, utrum ægrum in lecto ligneo an in aureo colloces, quocumque illum transtuleris, morbum suum secum aufert: ita nihil refert, utrum æger animus in divitiis sit vel paupertate, malum suum semper illum sequitur.*

Et Mimus;

Cui convenit cum paupertate, dives est.
Nec qui parum habet, sed qui plura cupit pauper est.
Quod vult habet; qui velle quod satis est potest.
Is minimo eget mortalis, qui minimum cupit.

Magnatum vita.

HEnricus Glareanus vir doctissimus, sed parum opulentus, rogatus ab amico, quomodo viveret ac valeret? Ego, inquit, Principum ac magnatum vitam vivo; Altero quærente, qualisnam ea esset? *Ego*, inquit,

quit, *bibo & genio indulgeo, interim in omnium ære sum & maneo.*

Pulchrum caput; sed cerebrum non habet.

ANgelus Stuffa Florentinorum ad Sigismundum Malatestam Ariminensium tum Principem legatus, pileo sine petaso, ex more illius temporis grandi & spacioso utebatur. Mirus hic habitus Ariminensibus visus est, ut qui etiam media hyeme caput leviter integere, collum nihilominus fasciis involutum habere solent. Ex iis ergo unus Marcovaldus nomine, per irrisionem ad Angelum inquit: Crediderim sane vobis frigida valde esse capita. Cui Angelus: Dicam tibi quamobrem nos capita tam diligenter custodiamus, Vos, credo, de anserum aut anatum estis genere, ut qui etiam mediis pluviis capita versus cœlum surrigunt, nec nebulam aut ullam tempestatem curant, quum scilicet vix micam habeant cerebri: At nos, quibus, cerebrum est, illud quoque sedulo nequid noceat, curare debemus.

Errata aliorum operta, aliorum occulta.

QUum Medicus quidam nescio quod in pictura erratum reprehendisset, pictor astans, ægerrime id ferens, non in Medicum tantum, verum etiam ipsam Medici-

nam multa convicia effudit, inter alia illud quoque objiciens, solis Medicis homines impune licere occidere, nec ullum esse Medicum, qui priusquam artem recte condiscat, unum cœmiterium mortuis non impleat. Ad hæc Medicus, Bona verba, inquit, quæso. In hoc sane vestra ars præstat, quod tam excellentiam quam errorem operis dies ostendit, At in eo fortuna nobis magis est propitia, quod cura nostra sanatos, vivos omnium oculis exponit, sed errores nostros ab oculis ablatos, sub terram abscondit.

Facetum.

QUum Romæ inter quosdam nobiles & doctos de Francisco Petrarcha ejusque operibus sermo haberetur, & quidam dicerent, multa eum ex antiquis nescio quibus versificatoribus desumsisse; alii vero è suo unius ingenio ea quæ hodieque cum admiratione leguntur, expromsisse contenderent: Humor quidam Bononiensis (de cujus jocis integer liber scribi possit) qui sermoni huic intervenerat, & posito pallio mensæ assederat, sententiam rogatus, Ego, inquit, existimo Petrarcham antiquos illos Poëtas ita tractasse, quemadmodum Hispani pallia per noctem surrepta, quæ novis ornamentis aliisque modis ita reconcinnant,

cinnant, ut ne agnoſci poſſint. Forte ibi aderat Hiſpanus nobilis, qui audito hoc gentis ſuæ elogio, converſo ad Humorem vultu, Quid tu, inquit, de Hiſpanis loqueris. Tum Humor quaſi mirabundus, Ergo tu, inquit, Hiſpanus es? ac ſtatim per puerum pallium ſibi deferre juſſit, eoque humeris iniecto ſeſſum ſe recepit. En Satyricum dictum & factum ſimul.

Levitas fœminarum propria.

MUltis virginem quandam nobilem ob eximias tam animi quam corporis dotes collaudantibus, unus ſive invidia, ſive contradicendi ſtudio, vanam eam & levem eſſe dixit. Ibi matrona quædam honeſtiſſima, Ergo tu, inquit, hoc vitium quoque à muliebri ſexu afferre, & tibi tuique ſimilibus adſcribere cupis! Quid ergo eis relinquis.

Mordax in Principem.

SYlveſter Bottigella magnati cuidam, quænam dotes Principi neceſſariæ eſſent quærenti, Omnes illæ, inquit, quæ tibi deſunt. Hodie per jugulum talia verba reditura ſint.

Hominibus non facile fidendum.

BEllo quod Julio III. Pontifice in Italia geſtum fuit; Rudolphus Ballionus &

Ascanius Gornia Pontifici militantes, à monacho quodam, qui quasi pro sancto habebatur, persuasi, copias ad Cutilianum montanam Pistoriensis ditionis arcem, ejus opera clam occupandam adduxerant: quibus in insidias antea præparatas præcipitantibus & male multatis, Pontifex, accepto cladis nuncio, indignabundus exclamasse dicitur? ô stulti homines qui Deo ipsi non credunt, Sanctulo credere non dubitarunt.

Sera admonitio.

ALphonsum Pazzium nobilem Florentinum cum aliis multo deposito precio ludentem, quidam his verbis admonuit: Cave Alphonse, ne reliquum perdas. Tum ille, qui fœnum in cornu gerebat? Equidem cavebo quantum potero, verum te eadem de re admonendi, scio jam dudum tempus præteriisse. Cujus dicti acrimoniam bene intellexit is, qui præter signatam pecuniam, etiam multa beneficia à Cardinali cognato ipsi relicta, jam amoribus & vanitatibus impenderat.

Idem Alphonsus cum quodam in judicio contendens, quum adversarius inter alia ei tamquam malesani capitis argumentum, objecisset, quod à patre duodecim ipsi tutores sive curatores dati essent. Nil

mirum

mirum hoc, inquit, quin credo patrem meum, si scivisset tecum mihi rem aut litem fore, non duodecim sed viginti quatuor mihi daturum fuisse.

Præpostera vel impia potius eleëmosyna.

THomas Guadagnius mercator Florentinus, usitatis etiam hodie artibus tantum lucri fecit, ut Francisco I. Franciæ Regi quinquies centum scutatorum millia mutuo dederit. Hic post mortem aliquam sui memoriam & monumentum relinquere cupiens, Lugduni Nosocomium exstruere instituit. Præparato jam ad fundamenta solo quemcunque amicum aut notum nactus eò ducebat, consilium operis quam poterat optima forma & modo exædificandi, exquirens. Quum vero inter alios aliquando Nicolaum Salterellium Florentinum itidem, hominem facetum & architectonicæ artis non imperitum eo duxisset, eique omnia ædificii lineamenta & partes commonstrasset, rogans ut si quid immutandum aut commodius faciendum animadverteret, indicare id ne gravaretur: Salterellius, Cetera, inquit, mihi satis placent, unum tamen desidero; quod scilicet nimis parvum & augustum mihi videatur. Cur hoc dicis? inquit Guadagnius, non tu vides quantum hoc universum sit spatium?

Eſt magnum ſane, inquit Salterellius: ſi tamen omnes huc veniant quos tu ad paupertatem redegiſti, nimis, ſcio, anguſtum erit, immo vix dimidiam eorum partem capiet.

Par pari commiſſus.

JUvenem quendam ab amico ad prandium invitatum, nobilis virgo, quod eum hodiernæ civilitatis parum expertum videret, ex oppoſito ſedens pudore afficere volebat. Cernens ergo cibum ante juvenem poſitum hinc inde truncatum, Sane, ait, domine, fortis es. Tum ille qui ipſam non minus ſtrenue, ſed forte civilius aliquanto manducantem viderat, Mihi quidem, inquit, fortis eſſe neceſſe eſt, ut qui non minus robuſtum habeam antagoniſtam.

Cui Patientia.

HOmo quidam facetus amicum qui debiti cauſa ad monaſterium ſive locum quendam ſacrum confugerat, inviſens, quum curarum ipſum & cogitationum plenum vidiſſet, quamvis rem omnem ſciret, interrogavit tamen, Quid ita triſtis eſſet? Cui is: Equidem quamdiu vixero vix, credo, triſtitia à me abſceſſerit! Scis enim, opinor, quam multa ſcutatorum millia non ulla mea culpa, ſed fortunæ malignitate

brevi tempore amiſerim. Et jam creditores mei fortunarum mearum reliquiis non contenti, etiam carcerem & vincula mihi minantur, nec ullo alio modo paciſci mecum volunt. Ac profecto jamdudum ſpe omni abjecta, mortem mihi ipſe conſciviſſem, niſi è lectione libri cujuſdam, *De Patientia* inſcripti, rurſum ſpiritus aliquid & animi hauſiſſem, quem quidem divinitus mihi objectum credo, ut à tanto facinore deſiſterem, & ad meliorem mentem redirem. Ibi Paulus, ergo jam, inquit, creditoribus veſtris omnibus ſatis factum eſt? Non, ait ille. Tum hic rurſus: Ergo illos potius librum hunc *De Patientia* legerē oportebat, qui velint nolint, eo quod ipſis debes, carere coguntur.

Filii degeneres.

DOctum quendam, nobilem & magnæ auctoritatis hominem princeps rogarat, an filios, & quot haberet? ille cogitabundus aliquamdiu ſedens, nihil reſpondit. Princeps ergo verba ab illo minus intellecta exiſtimans, idem rurſus rogat. Ibi ille, Nullos, inquit, habere me pœne dixeram, etſi tres habeo, quorum primus valde ſapiens ſibi videtur, quum plane ſit & fungus & fatuus: alter ob formam mirifice ſibi placet, quum tamen Therſite ſit deformior,

mior; tertius fortis haberi vult, qui ipſam ignaviorem poſſit facere ignaviam. Tales ergo quum ſint, orbum me recte puto.

Fœminarum mores.

HOſpes quidam apud N. civem diverterat. Quum vero mulieris continuis clamoribus & rixis domum implentis offenſus importunitate, de mutando hoſpitio cogitaret, eoque veniam ab illo petiiſſet: Quid tu hominis es? inquit bonus ille paterfamilias, qui vix biduum aut triduum uxoris meæ mores ferre poteſt, quos jam ego per viginti & amplius annos, patienter fero.

In Timidum.

QUidam hominem timidum obvium habens, undenam veniret, rogabat, Quum ille in macello ſe fuiſſe dixiſſet, alter, Quæſo, inquit, an tu eum locum adire auſus es, ubi tot boves & oves occiſæ ſunt & quotidie occiduntur?

Ad Proditionem qui apti.

DE prodenda quadam arce miles multis ſceleribus infamis cum Alexandro Rangonio & aliis proceribus egerat. Id intelligens N. vir prudens dicto Comiti à ſecretis, ſedulo monuit ne homini fidem haberent,

berent, ut qui peſſimus eſſet & ſceleratiſſimus. Tum Rangonius, Tanto melior, inquit: ſi enim aliis eſſet moribus, hanc ad rem parum eſſet idoneus.

Facetum de Nanis.

NIcolaus Conſtantius roganti cuidam, quî fieret quod plerumque homines pumili eſſent animoſi? Eo, inquit, quia exiguo corpuſculo defendendo ſufficere ſe putant.

In voraces.

QUidam inter duos homines voraciſſimos ſedens, ab amico forte ſupervenientc rogatus, quomodo ſe haberet? Male, inquit: quippe inter Scyllam & Charybdim verſor.

Judices ungendi.

NOn minus vere quam eleganter quidam ait, qui negocia ſua feliciter expedire velit, ei judicis manus ungendas eſſe, quod quidem unguentum tantæ virtutis eſt, ut cuicumque cauſſæ apud Advocatos alium colorem, & apud Judicem ipſi quoque Juſtitiæ alium habitum conciliet. At unguentum hoc non ex oleo, ſed ex auro & argento confici debet. Myſterium hoc non intelligens mulier quædam, cui neſcio

quæ caussa apud judicem erat, monita à vicino, ut si quid impetrare vellet, judici manus ungeret, lecythum oleo plenum secum detulit, & ad Judicem accedens, manus ipsius perungere cœpit. Mulieris simplicitatem, & ipsius actionis mysterium intelligens Judex, satis, inquit, hujus unctionis est: at jam ad extergendas manus ulnis aliquot panni opus sit, quas quum postea mulier ad Judicem tulisset, & quod petierat obtinuisset, unctionis nullam, sed detersionis magnam vim esse prædicavit.

Quemadmodum aurum Lydio lapide, ita homines officiis & muneribus probari, Alphonsus Rex dicere solebat. Cui simile est illud vulgatum; *Magistratus virum ostendit.*

In munerum captatores.

LUdovicus XI. Franciæ Rex; acceptis nescio unde duodecim scutatorum millibus, non ignarus mox aulicos undique tamquam ad prædæ partem convolaturos, pecuniam omnem in mensam effundi jussit: & ad circonstantes conversus, Num quid, ait, jam probe nummatus Rex sum? quid vero his mihi nummis faciundum censetis? Quamquam facile ipse intelligam, quum donati mihi sint, aliis quoque à me donandos. Ubi jam sunt amici mei, qui gratum

gratum mihi & utile officium aliquod præstiterunt? Omnium animis magnam in spem erectis, Rex quempiam hianti ore atque oculis thesaurum illum quasi devorantem conspicatus, Quid tu, ait, hominis es? nullane recensere tua potes merita, quæ aliqua digna sint compensatione: Ille falcones Regis sese diligenter & fideliter, ac magnis etiam cum suis expensis aluisse dicebat, seque Regiæ liberalitati quam humillime commendabat. Inde alii atque alii prodeuntes, sua quisque officia, atque interdum etiam non sine mendacio, jactabant ac deprædicabant. Adstabat vero inter reliquos Regis Cancellarius, quem ipsum Rex quoque acciri jusserat, sed reliquis prudentior, nulla sua merita narrabat, sed tacitus tanquam post scenam sive siparium, se continebat. Re in longum, ut cupiditas illorum & spes tanto magis accenderetur, protracta, tandem Rex ad Cancellarium conversus, An tu, inquit, solus nihil postulas? an solus nihil habes quod prædicare possis? Ibi Cancellarius: Ego inquit, ô Rex à tua liberalitate multo plus accepi quam omnibus meis officiis umquam promerui: ac jam in illam tantum mihi curam & cogitationem incumbendum est, ut quantum possum gratum me exhibeam, tantum abest ut quidquam à Re-

gia Veſtra Majeſtate poſcere velim aut debeam. Ergo tu, inquit Rex, ſolus inter tam multos, pecunia opus non habes? Equidem reſpondit Cancellarius, ut opus non habeam, jamdudum Regia Veſtra liberalitate mihi proſpectum eſt. Tum Rex ad reliquos, Numquid magnificus, inquit, Rex ego vobis videor, qui Cancellarium habeam tam opulentum? Hinc dici non poteſt quanto majorem ſpem plerique omnes conceperint, poſtquam audivere Cancellarium neque ſibi quidquam poſcere, neque opus habere. Suſpenſis diu omnium animis, Rex tandem Cancellarium ad ſe vocat, & , Quamvis, inquit, tu ſolus nec à me petere quidquam, nec ullum tuum meritum jactare volueris: ego tamen & præteritorum conſcius & futurorum certus, volo ac jubeo ut quantum nummorum in hac menſa jacet, id omne domum tecum auferas. Mox reliquis, qui tamquan corvi hiantes deluſi, triſtes hæc audiebant, Vobis, inquit, alia occaſio exſpectanda eſt. *Qui bene ſervit, & tacet, etiam tacens, petit.*

Regia Cardinalis cujuſdam vox.

HIppolytus Medicis Cardinalis Clementis VII. Pontificis nepos magnifice & munifice numeroſam alebat familiam, adeo ut quamvis maximi reditus, vix tantis ſumptibus

ptibus sufficerent. Ejus rei Pontifex non ignarus, quodam die, Hyppolyto animi gratia in campum exspatiato, omnium ministrorum ipsius catalogum, adscripto quo quisque fungeretur munere, adferri sibi jussit: ac primum ad tantam multitudinem pœne obstupuit; deinde sumpto stylo, multorum tamquam inutilium, aut certe non valde necessariorum nomina delevit. Accersito deinde domus præfecto, Tu, inquit, hero tuo, nepoti meo, indica velle me omnino & jubere, ut eos omnes quorum nomina hic deleta vides, à se dimittat, ut quibus sine ullo incommodo carere possit. Vesperi domum reverso Hippolyto præfectus, exhibito catalogo, Pontificis mandatum exponit. Quo audito, Cardinalis in hæc statim verba erupit: Verum quidem Pontifex dicit, me tot ministris opus non habere; at quum illi me opus habeant, interdico tibi ne tu quenquam eorum quos ille erasit, amoveas.

Liberum & facetum Legati responsum.

ANtonius Puccius Florentinorum ad Philippum Ducem Mediolanensem, Astrologiæ valde deditum, legatus, quum diu audientiam impetrare non posset, quod Dux totus ex Astrologi consilio penderet: tandem à Principe (quum Astrologus tem-

pus jam commodum veniſſe monuerat, vocatus & mandata exponere juſſus, venire detrectavit, inquiens: Si Duci ea hora horoſcopus faveret; ſibi non favere.

Aſtrologiæ vanitas.

MIrifica fuit ac incredibilis etiam Alphonſi Aragoniæ Regis in omnes liberalitas? tum præcipuus erga litteratos amor. Is tamen in tanta doctorum, & in quacumque diſciplina præſtantiſſimorum virorum, quam ſemper circa ſe habebat, frequentia, neminem umquam Aſtrologum aut ad ſe invitaſſe, aut ulla munificentia proſequutus eſſe dicitur. Cuidam de ea diſciplina differenti, idem ſic reſpondit: Aſtra ſive ſtellæ ſtultis, at ſapientes aſtris imperant. Æquum igitur fuerit, ut ſtulti Principes Aſtrologos in precio habeant, quos ſapientes merito contemnunt.

Quo tempore Concilium Conſtantiæ celebrabatur, Petrus de Monte Alcino famoſus Aſtrologus Prognoſticon edidit, in quo inter alia, ſi diis placet, vaticinabatur, eo anno Sigiſmundum Auſtriacum Imperatorem, Romæ à Papa coronatum iri, ac Joannem XXIII. Papam, qui ad Concilium ad dicendam Cauſſam evocatus fuerat, honorifice in Italiam ad priſtinam dignitatem reverſurum. Quum vero depoſito

posito à Concilii Patribus Joanne, & Sigismundo Italicam profectionem intermittente, neutrum factum esset: & dicto Astrologo quidam tam manifestum mendacium exprobrarent: Ne, inquit ille, vobis hoc mirum videatur, quod de duobus stultis judicium ferens, à vero aberrarim, de quibus ne ipse quidem Ptolemæus vel unum verum verbum prædicere aut divinare potuisset.

Ære dirutus,

NObilis quidam Romanus, consumptis fere omnibus facultatibus à mercatore vestem & alia emerat, certo solutioni constituto tempore, quo elapso, bonus ille debitor, nuspiam argentum quo satisfaceret reperiens, à publico aliquot dies abstinuit, totus interea in modo aliquo solutionis comminiscendo occupatus. Quum vero nihil expedire posset, solitudinis pertæsus negotia solita in foro & alibi rursus obire cœpit. Mercator quamvis homini non semel occurrisset, aliquandiu tamen tacuit, tandem vero ubi illum non modo solutionem procrastinare, verum etiam moram, uti ante consueverat, non amplius excusare animadvertit, quodam die obvium monuit, ut recordaretur solutioni præstitutum tempus jamdudum præteriisse.

teriisse. Ille equidem satis, inquit, cujus me mones recordor, ac sæpius etiam cogitavi ac recogitavi qua ratione tibi possem satisfacere: quum vero nullum hactenus modum comminisci potuerim, statui illam cogitationem & curam debiti hujus à me extorquendi, tibi relinquere.

Alius obæratus, quoties mane è lecto surgebat, Male pereat, inquit, quisquis me hodie debiti nomine appellârit. Idem deinde à creditoribus obviis, aut etiam ultro eum quærentibus, monitus quod ipsorum plane oblivisceretur: Ne vos, inquit, hoc dicite me vestri oblitum esse, ut quorum etiam hodie è lecto surgens, sim recordatus. *Superius illud argutum magis quam honestum: hoc parum Christianum.*

Ambitiosi quam ægre aliis cedant.

QUum anno M. D. XXXVIII. Paulus III. PP. belli inter Carolum V. & Franciscum Franciæ Regem componendi causa, Niceam quo dies condictus erat, proficisci constituisset; M. Andreas Tutinus, Pontificis medicus & domesticus, Vereor, inquit, Sanctissime pater, ne idem vobis accidat quod eremitæ cuidam, qui Deum cum Sathana reconciliandi negotium susceperat. Talem deinde fabulam

exorſus. Fuit Eremita quidam cui, ob vitæ morumque ſanctitatem, diabolus viſibili ſpecie varie illuſit: quas tamen ille tentationes omnes Dei præſentia & auxilio ſuperavit. Quum vero hac occaſione idem cum utroque, Deo ſcil. & Sathana, ſæpius loqueretur, illa tandem animum ipſius ſubiit cogitatio, quomodo unum cum altero in gratiam reducere poſſet. Ac prius quidem Deum affatus, Vides, inquit, Domine, quam multas infœlices animas malus ille Sathanas hoſtis tuus quotidie ſeducat, ac nullum ullo umquam tempore tam tuis quam piorum conatibus adverſandi finem faciat. Optimum itaque, mihi videtur, atque ita uti facias rogo & obſecro, ut culpam omnem ei condones, eumque in gratiam recipias, quod is à tam perniciosis hominum generi artibus & conſiliis poſthac deſiſtat. Non recuſo, inquit Deus, modo is culpam ſuam agnoſcat ac deprecetur. Tam facili accepto reſponſo, jam bono illi Eremitæ res pœnæ confecta videbatur. Ubi ergo primum diabolus ipſi apparuit, his ad eum verbis uſus eſt: Quid tu miſer tandem ex tot animabus perditis lucri facis? Quid infœlices illi mortales in te commiſerunt, quos tanto numero in infernum trahis? Non tu vides te illis quidem nocere, tibi tamen ne hilum

quidem

quidem prodesse? Quanto magis è re tua fuerit, cum Deo in gratiam redire, ac tantis te malis, laboribus & cruciatibus quos tibi inimicitia hæc affert, liberare, Multis deinde aliis in eandem sententiam adductis rationibus, tandem ait, hanc controversiam omnem paucis verbis dirimi ac componi posse. Hic diabolus Eremitæ verba & consilium non aspernatus, ab eo modum & conditiones futuræ reconciliationis scire voluit, qui respondit, quatuor verbis rem omnem transigi posse, his scilicet: *Peccavi Domine, miserere mei.* Hoc bene habet; inquit Sathanas. Sed quid ais? Quatuor hæc verba utrum à me an ab illo dici vis? A te, inquit Eremita. Numquam hoc fiet, ait diabolus; ac indigatione plenus ab Eremira discessit.

Ne rixæ aliorum te immisceas,

QUidam duorum pugnam diremturus, profundum in capite vulnus acceperat Adductus medicus cerebrum scrutari cœpit, num forte læsum esset. Tum astantium quidam, Frustra, inquit, tu apud hunc cerebrum quæris, quod si habuisset, nunquam se alienæ rixæ immiscuisset.

Poëtæ famelici.

QUum in convivio poëtarum facta esset mentio, & quidem varia eorum gene-

ra,

ra, ut Epicos, elegiacos, lyricos, melicos, &c. recensuisset: Stephanus Ferrarius, Miror, inquit omnium frequentissimos à te omitti, Rogante altero, quinam illi essent, *Famelici*, respondit? quos sane hodie complures esse nemo negaverit.

Absentes non rodendi.

ORto inter quosdam de iis qui omnibus detrahere, ac de omnibus, maxime de absentibus male loqui consuessent, sermone, Carolus Vicecomes, Episcopus postea Vigintimilliensis, Ego, inquit, potius omnibus, etiam indignis benefecero, quam de inimico meo vel etiam digno male loquar. *Generose & Christiane.*

In tardam stipendiorum solutionem.

ULysses Spinus centurio, quum milites non semel ob tardam stipendiorum solutionem tumultuari conantes, sua fide interposita ægre in officio continuisset: tandem allato unius mensis stipendio, & instituta lustratione, Commissarius ex militibus unum, tamquam extra numerum is & adscititius esset, arguit, inter cætera dicens, faciem sibi hominis notam, & aliàs visam, eidem tamen é primoribus dentem unum defuisse: at hunc nullo carere. Tum centurio indignabundus, Quid hoc mirum? inquit,

inquit. Tamdiu vos cum ſtipendio manſiſtis, ut interea huic novus dens ſuccreverit.

Facetum & ridiculum.

MArcus quidam Laudenſis Cardinalis N. domeſticus quum carnem duram & nigram menſæ appoſitam vidiſſet, continuo quanta potuit celeritate, neſcio quid murmurans, ſeſe proripuit. Paulo poſt vultu lætabundo reverſus, & à ſociis rogatus, cur tam propere à menſa ſurrexiſſet: Equidem, ait, ô ſocii & commenſales chariſſimi, dici vix poteſt quum primum carnes has menſæ inferri vidi, quantopere conturbatus fuerim. Argumentum enim è colore, odore, ſapore & duritie ſumens, jam de mea mula actum, haſque ipſius carnes eſſe putabam: celeriter ergo ad ſtabulum cucurri, ut an ſuperſtes adhuc eſſet, viderem: eaque viva adhuc & integra inventa, lætus jam ad vos redeo,

Inhumanum Medici factum.

BAccius Medicus Florentinus, artis ſuæ bene gnarus, ſed cerebroſus; ad fœminæ cujuſdam curam vocatus, explorato arteriæ pulſu, qui vehementis febris indicium faciebat, inter alia tandem de ætate rogavit. Quum illa ſexaginta tres annos natam

natam ſe diceret, rejecto ægræ brachio, Quamdiu, inquit, tu in hoc mundo vivere cupis? & irato ſimilis, bonam mulierem incuratam reliquit.

Prima ætas ſequentis indicium.

CArolo Auſtriaco, qui poſtea ejus nominis V. Imperator fuit, adhuc adoleſcenti? decem pueri nobiles ejuſdem fere ætatis, tum converſandi quam ſerviendi gratia adjuncti fuerant, ac dati viginti aurei menſtrui, quos pro ſua voluntate & arbitrio diſpenſaret. Accepta igitur primi menſis proviſione, ſtatim omne id aurum inter dictos ſuos coætaneos & pueros, ſecundum arithmeticam proportionem diviſit: qui idipſum quoque ſine ulla mora, vix apud ſe calidum extruſerunt, & in res nullius aut parvi momenti, ut mos eſt puerorum, abuſi ſunt. Id quum Carolus animadvertiſſet; allato ſecundi menſis auro honorario, pueris avide prædam iterum æqualiter, uti putabant, dividendam exſpectantibus, uni ex illis aureum dedit, & eo crumenam emere juſſit, inque eam allatam ſtatim reliquum aurum reconditum, cuidam familiarium paullò adultiori aſſervandum dedit, idem deinde tertio ac quarto menſe factum; iiſdem pueris valde ringentibus, hoc iis, etiam quibus eorum cura com-

commiſſa erat, vehementer admirantibus, & de innata quadam avaritia hinc facientibus conjecturam, Non multò poſt quum Carolus intellexiſſet puerorum uni, neſcio quo caſu, equum periiſſe, familiari illi depoſitario & cuſtodi mandavit ut eidem & aurum omne & marſupium traderet, ac ſuo nomine donaret. En virtutem ante annos, & quod vulgari proverbio dici ſolet, *Ex aurora diem.*

Poëtæ ne ſis importunus.

FRanciſcus Philelphus ſuperioris ætatis vir doctiſſimus, ſæpiſſime aliorum rogatu ſcribendis orationibus, epitaphiis, epigrammatis, & id genus talibus, ſine emolumento fere occupatus, quodam nimis importune, ut cognato ſibi adoleſcenti mortuo epitaphium ſcriberet urgente, defuncti nomen edi ſibi juſſit. Quum is Joannem vitellum (qui Latinis vitulus eſt) vocari dixiſſet, Philelphus leviter arroſo ungue, ſequens Epitaphium (quod poſtea aliis qnoque accommodatum fuit) effinxit.

Jupiter omnipotens Vituli miſerere Ioannis,
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovem.

Continuus metus peſſimus carnifex.

TReſpades Mantuanus quum hominis cujuſdam acerrimi, qui ob neſcio quam

quam injuriam plagas ipſi minatus fuerat, manus effugiſſet, tandem ab eodem forte fortuna obviam facto probe depexus, multum ſibi gratulatus eſt, quod poſthac quieto ſibi animo domo egredi, & per urbem ambulare liceret.

Alius ſimili modo à quodam acceptus, digreſſo eo à quo male multatus fuerat, Benefactum, inquit, quod tandem à te ira, à me vero metus diſceſſit.

Cur podagrici loquaces.

QUidam rogatus, cur podagrici plerique tam eſſent loquaces, *Ideo*, inquit, *quod pedes in lingua habeant.*

Idem Ennium poëtam, ajebat, quoties pedum doloribus vexabatur, multo vino ſe ingurgitaſſe, ac tum demum ligatis pedibus, ſoluta lingua, quod vellet verſus profudiſſe. Unde illud:

Ennius ipſe pater numquam niſi potus ad arma Proſilit, &c.

Mala non quærenda.

ALphonſus Rex eos ſtultiſſimos ſibi videri dixit, qui uxorem aufugientem quærerent. Rationem hanc addit Hercules Rangonius, quod ejuſmodi homines ſuam ipſorum quærerent turpitudinem.

Aſt

Aſtus in judicio

TRes juvenes quum piraticam diu exercuiſſent, & magnam collegiſſent pecuniam, tandem in urbem quandam commigrarant, eo conſilio, ut reliquum vitæ ibi & multo tutius & honeſtius traducerent. Quum vero id quod communi ope acquiſierant, non ita commode ſine rixa dividi poſſe videretur: aurum & argentum omne argentario ſive daniſtæ cuidam tradiderunt, hac conditione, ut ne cuiquam ille vel nummum, niſi omnibus tribus præſentibus, adnumeraret. Paullo poſt ab uno horum ceteris aſtutiori perſuaſi, magis è re fore ſi ea pecunia ædes, prædia & alia, quibus communiter uti poſſent, ſibi compararent, argentarium adeunt, & ut pecuniam, quam mox integram repetituri eſſent, in promptu habeat monent. Quadam vero die animi gratia foras prodeuntes ſocios, inter equitandum idem monet quinquaginta Ducatis ad inſtruendam domum opus eſſe: quos duo illi ab argentario petere jubent: ac ſimul domum ejus tranſeuntes, argentarium quod ille peteret; dare jubent, ac dein viam proſequuntur. Ille mox acceptam ab argentario univerſam ſummam, equo imponit; & longe diverſum iter ingreſſus, aufugit. Interim duo illi reverſi

rem

rem omnem ex argentario cognoſcunt : quumque fruſtra fugitivum ſe inſequuturos animadverterent: argentarium in jus vocant, conditionem allegantes, quâ conventum eſſet ne cui niſi ceteris quoque præſentibus, concreditam pecuniam adnumeraret. Non mediocriter hinc turbato argentario in mentem venit Gellium Aretinum IC. à doctrina quidem parum, ſed ab ingenio & natura ſatis inſtructum adire: qui audito caſu, cum vicinis aliquot ſuis re deliberata, id conſilii argentario dedit ut male quidem a ſe pecuniam renumeratam fateretur: ſe tamen paratum eſſe diceret, eandem juxta ſcripturæ ſuper ea re factæ tenorem denuo ſolvere: at id fieri non debere, niſi tribus illis præſentibus. Abirent ergo & tertium illum adducerent, tumque ſe in mora non futurum.

Qui homines chariſſimi Principibus eſſe debeant.

FRidericus Imperator interrogatus, quoſnam hominum haberet chariſſimos: Eos, inquit, *qui Deum magis, quam me metuunt*. Rari profecto tales Principes: ſed & rari tales Conſiliarii & miniſtri. Hodie enim *Mitius agi putatur cum Deo, quam cum homine.*

Sapiens & quaſi Salomonium judicium.

NEapolim Auſtriæ, ubi Imperator aulam tum habebat, ruſticus quidam currum frumento onuſtum advexerat: cui in hoſpitium digreſſo, aulicus quidam equum curru ſolutum furtim ſubduxit. Re intellecta, Imperator ruſticum ad ſe vocatum de furto & ejus auctore percunctatur. Ruſticus de furto ſibi nimis quam vellet conſtare ait: auctorem vero penitus ſe ignorare. Poſt varias aſtantium Conſiliariorum conjecturas, Equidem, inquit Imperator, illud mihi mirum videtur, quod alter quoque ruſtico huic equus non itidem furto ablatus ſit, qui ſciam quantum hic jam equitum ſit qui equis opus habent. Tum ruſticus, altera illa quidem ô Imperator, equa eſt, & ad militarem uſum minus apta. Id audiens Imperator, hominem equam conſcendere, ac omnia urbis equilia adequitare juſſit, quo facto, equus ſociam odoratus, hinnitu & ſe & facti auctorem prodidit.

Quibus fidendum.

QUum in Friderici Imperatoris manus litteræ quædam à Gaſpare Schlickio ad proceres quoſdam Hungaros ſcriptæ incidiſſent, plerisque ut eas aperiret (quod ea res ſuſpicione non careret) ſuadentibus, Ego,

Ego, inquit Imperator, Gaſparem pro viro bono habeo & fideli amico, quod ſi fallor malo ut error hic quacunque alia ratione, quam mea diligentia inveniatur.

Honor potius quam res.

VEterano quodam milite neſcio quid à Sigiſmundo Imperatore, uti dicebat, ſibi promiſſum flagitante, Imperator, Nimis magnum, inquit, eſt quod poſtulas, Tum ille, Olim tibi, ô Imperator, id non promittere licuit, jam promiſſum, negare non licet. Quod ſi, ait Imperator, alterutrum patiendum eſt, ſane rei, quam exiſtimationis jacturam facere malo.

Inimici quomodo vincendi.

QUibuſdam ægre ferentibus quod idem Imperator hoſtibus à ſe victis non vitam tantum, verum etiam fortunas omnes donaret, immo eoſdem in amicorum numerum receptos, præcipuo loco haberet: ad Laurentium Hungariæ Palatinum converſus Sigiſmundus, Tibi, inquit, & aliis fortaſſe utilius videtur hoſtem perdere, quod mortuus bellum amplius non faciat. at ego eo ipſo hoſtem perdo, dum in gratiam receptum, ex hoſte amicum facio, & quantum poſſum, orno. Regia certe vox, *Nimio ſatius eſt hoſtem beneficio, quam maleficio vincere.*

Quinam imperio digni.

IDem rogatus quos imperio aptiſſimos judicaret, *Eos*, reſpondit, *qui nec ſecundis rebus inſoleſcerent, nec adverſis frangerentur*, Quæ ſane virtus Romanorum quaſi propria fuit. Unde de Roma Claudianus:

Numquam ſuccubuit damnis, & territa nullo,
Vulnere, poſt Cannas major Trebiamque fremebat.

Et de iiſdem Aſdrubal apud Livium ait, Raro ſimul hominibus bonam fortunam bonamque mentem dari, Populum Romanum in eo invictum eſſe, quod *in ſecundis rebus ſapere & conſulere meminerit*. Idem etiam animus Marobodui fuit, qui, ut Tacitus lib. 2. Annal. teſtatur, ad Tiberium ſcripſit, *non ut profugus, aut ſupplex, ſed ex memoria præteritæ fortunæ*. Et ſuperiori ætate Franciſcus Galliæ Rex, nec non Joannes Fridericus Saxoniæ Princeps, & alii, etſi captivi, ſemper mores & ſpiritus regios ac priſtinos retinuerunt. Plinius: *Viri fortis animus plus premitur, quoque magis ſævit fortuna, hoc eſt erectior.*

Aurum animi carnifex.

QUum idem magnam auri vim ex Hungaria illatam cubiculo ſuo, quia jam dies abierat, inferri juſſiſſet, & cubitum conce-

concedens, diu insomnis lectulo incubaret: intempesta nocte Consiliarios quosdam & præcipuos amicos ad se vocari jussit. Demirantibus cunctis quidnam tam intempestiva sibi vellet vocatio, introductis in regium cubiculum aurũ commonstrat, *En*, dicens, *pessimum carnificem qui me hac tota nocte somnum capere non sivit. Vos quidquid hoc est auferte, & inter vos dividite.* Quod quum illi prompte fecissent *Nunc abite*, inquit, *jam ego multo melius quievero.*

Anacreon quoque quum auri talentum à Polycrate accepisset, aliis id distribuit, dicens *Odi munus quod vigilare cogit.*

Parrhesia apud bonos Principes.

QUum morosus quispiam præsente Imperatore Sigismundo diceret, in Constantiensi Concilio, cui tum Imperator intererat, non licere ea quæ quis sentiret, libere loqui, excipiens Imperator, *Hoc si non liceret*, inquit, *jam tu hoc ipsum tam libere non esses loquutus.*

Reformatio à quibus incipienda.

APud eundem de reformando Ecclesiastico statu aliquando actum fuerat. Dicentibus quibusdam à Minoribus (sunt ii ex Franciscana familia) fratribus incipiendum, *Non*, ait Imperator, *à Minoribus, sed à Majoribus inchoanda est reformatio.*

Qui magni faciendi.

IDem Imperator rogatus, cur viros doctos, etiam tenuis fortunæ, tanto in pretio haberet, quum alii Reges & principes majorem nobilitatis quam doctrinæ plerumque haberent rationem? Merito, ait, eos ego magnifacio, qui quod habent, non ab hominibus, sed à Deo acceperunt. Cur enim eos non ornarem quos Natura tam excellentibus donis ornavit? Nobilem quidem aut divitem facere quemcunque volo, possum, doctum facere non possum, *Qui nihil aliud habet, quam majorum imagines, opinione Nobilis est verius quam re. At qui virtute præditus est, unde manat etiam vulgaris illa nobilitas, germanam & nativam nobilitatem habet.*

Qui vivi, qui mortui.

N. Cavalcantium Equitem Florentinum, singulari doctrina virum, familiares quidam in cœmiterio quodam obvii, tamquam nocturni lemures & ejusmodi terriculamenta, aggressi fuerant. Is initio territus, quum mox amicos agnovisset: Equidem, ait, vobis irascerer, nisi scirem, *in vestro loco* quod vultis facere, vobis licere. Hujus verbi sensum quum illi initio minus intellexissent, tandem eo digresso, unus ait: Videtisne pro quibus ille nos habeat? *pro*

pro mortuis ſcilicet, etſi vivimus: ſiquidem locum hunc nobis tamquam proprium, aſſignat.

Ludovico Dulci in muſeo libris incumbenti, amicus quidam accedens dicebat, Quid tu inter mortuos jaces abſconditus? Quin ad nos viventes prodis? Immo, inquit ille, jam inter vivos verſor. Hi enim fama vivunt & vivent in omne ævum: at veſtra mors eſt, ut qui nulla re poſteritati, vos umquam vixiſſe, teſtatum facere vultis aut poteſtis.

Imperium quibus debeatur.

GEorgius Gradenicus nobilis Venetus dicere ſolebat, Nihil ſibi magis mirum videri, quam quod, quum cetera animantia rationis expertia, regem aut ducem non ferant, niſi is ſui generis omnes antecellat, homines tamen qui ſoli rationis ſunt compotes, etiam iis ſæpe principibus obedire ſuſtineant, qui ipſis quadrupedibus magis bruti ſunt.

Boni principes pauci.

IN Italia Jacobus Galbus magni nominis ea ætate Theologus, in quodam ſermone ad populum multa de periculoſo Principum ſtatu, & quam pauci poſt hanc vitam æterna illa potirentur, dixerat. Monitu

deinde ab amico, ut ad vitandam malam Principum gratiam, quod imprudenti forſan ſibi exciderat, alia ad populum concione corrigeret, aut ſaltem mitigaret, quam vis natura pertinax, tamen facturum ſe id recepit, poſt multos ergo dies, captata è textu quem explicabat occaſione, Nuper, ait, ſe quædam de periculoſo Principum ſtatu, & eorum qui ſalvarentur paucitate diſſeruiſſe, quæ intelligat nonnullis minus placere, atque etiam à vero videri aliena. Ne ergo quomodo id quod dixerat accipiendum ſit, quiſquam dubitare poſſit, velle ſe, pro ſuo more, apertius aliquanto id declarare, nimirum quod in univerſum de dubia principum ſalute dixiſſet, cum limitatione quadam intelligendum, neque enim ſe à regno cœlorum eos excluſos putare qui infra ſeptimum ætatis annum moriantur, ſed eos tantum quos ætas & rerum omnium licentia corruperit. *Acerbe & nimis Satyrice.* Sed eſt Deo gratia, quod vix ullum ſæculum noſtro, bonorum, prudentium & litteratorum Principum fuerit feracius, ut jam illud locum non habeat, *Omnium bonorum Principum nomina in uno annulo ſcribi poſſe.*

Neuter offendendus.

GAllis ingenti ſtrage à Gonſalvo Ferdinando Hiſpanorum duce profligatis, Hiſpaniæ Regis Orator Duci & Senatui Veneto tantam ſui Regis victoriam nunciaturus, in curiam ſeſe contulit; quo paulo poſt Galliæ quoque Regis Orator venit. Quum ergo ambo introducti unus quidem læto & erecto; alter triſti & demiſſo vultu conſediſſent; M. Leonardus Lauredanus utrumque ita affatus eſt: Inpræſentiarum quidem ego tam conſilio quam verbis Divi Pauli Apoſtoli utendum mihi video, ut videlicet, quum Dei voluntati nemo reſiſtere, & factum infectum fieri nequeat, *gaudeam cum gaudentibus, & fleam cum flentibus*, Quibus quidem ſapientiſſimis verbis omnem invidiam & odium utriuſque gentis vitavit, & cum utriuſque Legati gratia, ſingularem prudentiæ laudem eſt conſequutus.

Ne tu cede minis.

FRidericus Comes Monteſeltrius decennis puer pro Guidone patre apud N. Malateſtam Ariminenſem obſes relictus, quum finitis induciis pater Malateſtæ ditionem armata manu iterum invaſiſſet, Malateſtæ minanti, ſi ſecundùm pater ejus armata manu rediiſſet, capitis ſe de ipſo ſuppli-

ſupplicium ſumpturum, ſine ulla cunctatione reſpondit: quod ſi pater meus tertiùm redierit, de quo tum ſupplicium ſumes? Vox non puero ſed cordato viro digna.

Semper liberalis generoſitas:

CAjeta expugnata, Gonſalvus Ferdinandus multis Gallorum, ne pedites domum reverterentur, equos donavit. Tum Obignius dux eorum, Quæſo te, inquit, ut equos nobis quam optimos præbeas; qui ſcilicet & abeuntibus nobis & mox revertentibus uſui eſſe, ac viæ laborem ferre poſſint: innuens ſcilic. bellum nondum confectum, ſed mox redintegratum iri. Tum Gonſalvus, Redite, ait, quando & quotieſcumque vultis. Equidem equos hos, veſtes & alia quæ lubens jam vobis do, etiam reverſi, poſtea à mea liberalitate facile rurſus impetrabitis.

Una fidelia plures dealbare parietes.

HIbernus quidam Romam profectus, Cardinalem cujus opera indigebat, adiens, ut tanto eum promptiorem ſibi redderet, inſignem ajebat aſturconem ſeſe adduxiſſe, ſed eundem, quod malæ ſoleationis vitio claudicaret, Bononiæ reliquiſſe, Cardinali deſtinatum munus. Ibi Cardinalis, Ne tu cura, inquit, quod male ille ſoleatus

ſoleatus ſit. Si enim male ſoleatus non eſſet, mihi forſan ſoli donaſſes, at jam eundem omnibus reliquis Cardinalibus donare poteris.

Non barba sed cor.

AD Imperatorem Veneti legatos miſerant: quibus quod non admitterentur cauſſam rogantibus, reſponſum fuit, Mirum videri Imperatori, quum id genus munera gravibus & ſapientibus viris demandari ſoleant, Venetos ex omni Patrum Conſcriptorum numero neminem reperire potuiſſe quam duos ejuſmodi juvenes, qui hac legatione fungerentur. Quum ergo juventutem ſuam diſpicatui haberi animadverterent Legati, ab Imperatore ad colloquium ſemel tantum admitti petierunt, Polliciti de iis quæ in mandatis haberent, ne verbum quidem facturos. Quo impetrato, alter eorum ſic exorſus eſt; Si Venetorum Reſpublica, Sacratiſſime Imperator, ſapientiam non in corde hominum ſed barba ſitam eſſe crediſſet, jam quidem ad Cæſaream V Majeſtatem duos vetulos & barbatos hircos miſiſſet. Quibus ex verbis Imperator quibus cum hominibus ſibi res eſſet intelligens, comiter eos audivit, & liberaliter dimiſit.

Externus honos.

ROmæ inter duos diversæ nationis contentione orta, utra gens Christianæ religionis studium ferventius amplecteretur: uno jactante quantus honos St. Eucharistiæ tam publice quam privatim apud suos haberetur; alter, Nihil mirum hoc, inquit: nam & nos *peregrinis sive extraneis* quas possumus honoris significationes exhibemus.

Quævis caussa tyranno satis est.

CAstrutius, qui Lucensem Rempublicam aliquamdiu tyrannide oppresserat, ab amico reprehensus quod è Quartigianorum familia quosdam occidi jussisset, dicente: multorum eum animos a se abalienaturum, si veteres amicos tam male tractaret: *Nihil hoc*, inquit, *ad veteres amicos, sed novos inimicos attinet.*

Ejusdem factum cuidam damnanti, quod scilicet Luparum virum bonum, prudentissimum, & ipsi fidelem ab omnibus habitum, bonis spoliatum, in exilium ejecisset, subridens respondit Castrutius: Non prudentia, sed avaritia, non fides sed proditio Lupari à me punita est. Vir bonus esse non potest qui avarus est. Quamdiu vitia ejus ignoravi, ut charissimum amicum habui & colui: at posteaquam ostendit

dit pecuniam ſe chariorem habere quam meam ſalutem, me quoque fortunas & pecuniam Lupari quam ipſum Luparum pluris facere oportuit.

In monachatus deſertorem.

QUidam monachus factus, poſt abjecto cucullo, ad ſæcularem vitam, uti vocant, rediit; utque ſcommata malevolorum vitaret, à publico & aliis hominum congreſſibus diu abſtinuit. Tandem quum ab amico ad convivium invitatus, ibi etiam à neſcio quo tamquam excucullatus ludibrio haberetur, ac pudore totus ſuffunderetur, aſſidentium aliquis. *Ne vos*, inquit, *exiſtimate hunc ejus pudere, quod cucullum abjecerit, ſed ejus potius, quod umquam induerit.*

In avaros.

AVarus quidam vinum quod familiæ præbebat, enormiter admodum aqua diluere ſolebat, ut poſtea eſſet vilius: idemque manducantes vel menſæ adſtans, vel obambulans, vel è regione ſedens, diligenter obſervabat. Unum vero aliquando ſtrenue tuburcinantem videns, continere ſe non potuit quin exclamaret: *Et quando molendinum hoc ſiſtetur? Non tam cito hoc fiet*, inquit juvenis, *quando quidem tu aquam affundere non ceſſas.*

In malam mulierem.

QUodam fœminam parum honestam, tamquam muliebrium virtutum exemplar dilaudante, Camilla Arnolphina quæ fœminam illam forte melius noverat, *Immo*, inquit, *piaculare puto talem fœminam non comburi, & cineres ejus, memoriæ caussa, asservari.*

Eadem quum de homine quodam proceræ staturæ, sed parvæ sapientiæ facta esset mentio, *An nescitis*, ait, *superiores celsarum ædium partes non habitari?* Caput cerebro vacuum habere significans.

Blanditiæ subrusticæ.

NIcolaus Picinninus, strenuus & magni nominis bellator, ab Antonio Panormitano obvio honorifice salutatus, & ipse civilitate aliqua uti volens, militari plane voce & gestu contrà eum compellabat: *Ita vivam Antoni, ut quotiescumque te video, cæcum me esse cupio.* Perturbatus his verbis Panormitanus, ubi se collegit, *Quamobrem*, inquit, *mi Domine? quisquamne est qui virtutem & res præclare à te gestas plus in oculis atque animo ferat, quique tui honoris sit studiosior, quam ego?* Hic subridens Picinninus, rudes & militares mores ad civilitatem accommodans, *Sic habeto*, inquit, *quoties ego cumque te hominem tanta ac tam multi-*

plici doctrina ornatum intueor, deinde me meamq; ignorantiam considero: me & odisse te tamquam mihi contrarium, & revereri simul, tamquam hominem litteratum. Tunc ait Panormitanus, numquam sibi initio majoris perturbationis, nec in fine majoris risus materiam objectam esse.

Modus ut quis videatur sapiens.

FLorentiæ Antonius Puccius cum nescio quo egerat, ut tam necessario Reipublicæ tempore Confalonieri, sive Vexilliferi, quæ inter primas dignitates est, officium acceptaret; Eum se excusantem quod tantam sapientiam non haberet quantam munus illud requireret, Puccius rogat. An si tantum saperet quantum Cosmus Medicæus, satis sapiens sibi videretur? Immo, inquit ille, vel dimidium, credo, ad hoc mihi suffecerit. Tum Puccius: Quid si ego consilium tibi dedero ut plus illo sapere videare: Sed quid ait? nihil ne omnino sapis? Aliquantulum fortassis, inquit alter, Bene, ait Puccius, Fac ergo id quod Cosmus tibi suaserit & dixerit, sicque ipsius sapientiam quasi tuam facies: cui si illud etiam quod à te ipso habes, adjunxeris, tanto plus Cosmo sapere videberis.

Modus rationes reddendi.

MAximilianus I. Imperator quum erga omnes, tum præcipue erga ſanguine nobiles, ſed fortunis pauperes admodum fuit liberalis. Ex horum numero aliquem ad neſcio quam Imperii civitatem miſerat, qui centum florenorum millia Fiſco Imperatoris debita, poſtularet. Et hic quidem in exſequendo ſibi commiſſo munere tanta dexteritate & diligentia uſus eſt, ut quinquaginta florenorum millia extorſerit: de quibus triginta millibus Imperatoris Fiſco illatis, reſiduum ſibi ſervavit. Id quum poſtea rationum magiſtri cognoviſſent, Imperatorem moverunt ut ab homine illo rationem repoſceret. Vocatum ad ſe Imperator, rationem ejus quod accepiſſet reddere jubet. Ille facturum id ſe recepit, ac diſceſſit. Paucos poſt dies, ille non comparente Rationarii Imperatorem rurſus inſtigant ut illum ad rationes reddendas evocaret: qui quum comparuiſſet; Imperator, Non tu promiſiſti nuper, ait, te quamprimum rationes redditurum? Sic eſt, inquit ille, invictiſſime Imperator! & jam in eo ſum. Hinc exiſtimans Imperator, libros illum & adverſaria interea inſpicere velle, rurſus dierum aliquot moram homini indulſit: quibus elapſis, Rationarii hominem multis

multis modis apud Imperatorem criminati ſunt, ut qui non ſolum acceptam pecuniam mala fide tractaſſet, verum etiam aperte nunc Cæſaris mandatum contemneret. Tertiùm ergo ad Imperatorem accerſitur, & ſine ulla ampliori dilatione præſentibus Cæſaris quæſtoribus & Rationariis rationes reddere jubetur. Ille non ignarus, horum ſuaſu & inſtigatione (ut qui quod illi acceſſerat, ſibi deceſſiſſe exiſtimarent) Imperatorem tam ſerio rationes poſcere; ad ejus Majeſtatem humili geſtu & voce converſus, ſic infit: Rationes reddere, invictiſſime Imperator, non quidem recuſo: veruntamen quum artis hujus, mihi antea inuſitatæ, minus peritus ſim, hi vero qui ad accipiendas à me rationes parati abaco aſſident, artem hanc ad unguem calleant: quam humillime rogo & oro, ut ii præſente Veſtra Cæſarea Majeſtate ac me inſpectante prius a ſe accepti & expenſi rationes reddere jubeantur, neque enim dubito quin hæc una inſpectio facilem mihi & meas rationes reddendi modum commonſtratura ſit. Imperator quid hæc ſibi poſtulatio vellet optime intelligens, æquum petis, inquit, ac dimiſſo nobili quæſtorum ſuorum rationes poſtea diligentius inſpexit. Vulgo dicitur: *Minores fures ſunt in compedibus ferreis, ſed majores in torquibus aureis.*

Aliud

Aliud non minus facetum.

MOnacho cuidam, Theodorico Rageluido nomine, Carolus IV. Imperator arcis nescio cujus quæsturam demandarat? quam ille sic administravit, ut brevi magnas divitias corraserit. Delatus ab invidis apud Imperatorem quod mala fide in bonis ipsius administrandis versaretur, & suis tantum studeret utilitatibus, & statuto eam ad rem die, præsente Imperatore & iis qui malæ fidei ipsum insimulaverant, rationes reddere jussus, *Nulla mora*, inquit, *opus est, invictissime Imperator, quod jubes hac ipsa hora facere paratus sum.* Jussus ergo statim libros & alia ad eam rem necessaria adferre. *Ne his quidem*, inquit, *opus est. Mearum rationum summam accipite. Quum huic muneri à te præpositus fui, clementissime Cæsar, vili & monachali habitu indutus, pauxillulum pecuniæ in crumena habui. Id si per V. Majestatem retinere mihi liceat, est quod gratias agam. Si quid amplius habeo, id omne tuum est, ô Imperator: cui etiam lubens volens omnia reddo.* His auditis, ad circumstantes, ac præcipue Theodorici delatores conversus Imperator, *Quis vestrum*, inquit, *est qui hunc in modum rationes mihi reddere paratus sit?* Silentibus cunctis & pudore confusis, Imperator Theodoricum complexus bono animo esse jussit, atque eundem postea ad Episco-

Episcopatum Mindensem, tandem etiam ad Magdeburgensem Archiepiscopatum promovit.

Beneficiorum oblivio.

PRincipi N. nobilis quidam valde generosum equum donarat, spe gratiæ & favoris, si quando opus sibi foret, præstandi. Equum hunc quum post aliquot menses alius Princeps vidisset ac vehementer laudasset, simulque quæreret; unde aut à quo haberet? Ille nescire se respondit, credere tamen sibi à nescio quo donatum. Verba hæc nobilis ille qui donarat, non procul inde stans, audiens, facile conjicere potuit quænam sibi inde speranda esset remuneratio, quare de equo suo recuperando consilium iniit. Quodam ergo die equisonem sive stabularium qui equum ad proximam piscinam aquarum ducebat, insequutus, arrepto freno, furem inclamat, involat, & pugno contundit, tum sine mora equum ad Judicem adducit, ac suum esse multis testimoniis probat. Princeps à judice quid hac in re fieri vellet rogatus, ei cujus esset, equum restitui jussit: ac simul mandavit ut is qui sibi hunc equum donasset, diligenter inquireretur, quem ajebat gravi supplicio dignum, ut qui alienum & furtivum equum principi donare ausus esset.

ſit. En hominem ipſarum gratiarum & Mnemoſynes manibus factum!

Majorum amicitiæ parum tuta.

DUx quidam à duobus potentiſſimis Regibus ad ineundum ſecum fœdus invitatus, ſequenti apologo modeſte ſeſe excuſavit: Lepori quondam Urſus, Leo, & Aquila amicitiam ſuam, atque etiam fœdus quibus vellet conditionibus obtulerunt. Lepus ſuo ſe modulo primo metens, deinde eorum quibuſcum res ſibi futura eſſet, ingenium, naturam & vires conſiderans, amicitiam quidem amplexus eſt, fœdus autem recuſavit; dicens: *Illis ſemper quod vorent opus fore, ſibi vero paſtum nunquam deeſſe.*

Fatuis Reſpublica non committenda.

QUum præſente Petro Medicæo qui Legatus Roma revertens à Peruſinis honorifice fuerat exceptus, Senatorum quidam multa inepte atque etiam ſtulte dixiſſet, alius ex eodem ordine ad Petrnm ait: Ignoſce Domine, licet non dubitem, tales homines etiam apud vos eſſe. *Sunt*, inquit Petrus, *at eis ad Reipublicæ adminiſtrationem non utimur.*

Quæ litteræ hodie pluris fiant.

QUum Romæ inter Cardinalis cujusdam domesticos quidam dixisset, hominem valde literatum in urbem venisse, alius quæsiit, quasnam ille literas haberet aut afferret? Respondente altero, Hebraicas, Græcas, Latinas, &c. Ille, Argentarias sive collybisticas malim, inquit.

In Viles.

DOctor quidam togam holosericam pellibus suffultam fieri sibi curarat? sed quum in ejusmodi vestem qua raro uteretur, tantos sumptus facere nollet, lacinias quidem preciosioribus pellibus, nempe zebilinis prætexi, interiora vero ovillis subduci jussit. Ei obvio homo quidam, qui quosvis adunco naso suspendere consueverat, illudere volens, Bona, inquit, fortuna te in tam pulchra veste comitetur. Sed quæso dic mihi, an interiora exterioribus his respondeant? Non hoc ausim dicere, inquit Doctor, prætextas quales sint vides, ac reliquæ pelles sunt ex eodem genere quo tua.

In cunctatores, & voluptarios.

HUgitio Fagiola accepto Lucæ, ubi tum erat, inter prandendum nuncio, Pisanos seditionem movere, Prius, inquit, pran-

prandeamus: poſtea ſatis tempori Piſas ad caſtigandos rebelles veniemus. Finito ergo prandio, celeriter Piſas contendit: ſed à civibus excluſus Lucam propere rediit, ubi etiam portas occluſas offendit; ſic ergo undique excluſus, Veronam ad Canem Scaligerum ſe recepit, ejuſque liberalitate vitam ſuſtentavit. Quum vero aliquando in menſa ſermo de hominibus voracitate inſignibus incidiſſet, & Hugutio ſibi adoleſcenti binos capones, quatuor turdos, armum ovillum, & pectus vitulinum in unam cœnam vix ſatis fuiſſe diceret, Petrus Nanus homo valde argutus, atque etiam mordax, parum hoc, inquit, mihi videtur præ illo quod tu uno prandio duas opulentiſſimas civitates (Piſas & Lucam intelligebat, quarum fuerat dominus) abſumpſiſti.

Argutum Reſponſum.

STudioſis quibuſdam extra Neapolim animi gratia obambulantibus ruſticus aſino inequitans occurrit: quo vehementer rudere incipiente, quidam, O te inſcitum inquit, talis beſtiæ magiſtrum? quam tam intempeſtive, ſeu extra anni tempus (quale tum erat) rudere ſinis: Ruſticus Hoc, inquit, commune habet meum jumentum cum cæteris beſtiis, quod pro anni cantet tempore: attamen ſi quando turbæ alicui cogna-

cognatorum suorum occurrat, abstinere non potest (quæ est ejus comitas) quin lætitiam suam claro quasi jubilo & clamore testetur.

Quæ anni pars quibus gratissima.

GEnuæ nobilis quidam cum aliis ad ædium suarum fores stans; & cum vicinis colloquens, joci caussa è prætereunte rustico sciscitabatur, quonam anni tempore rusticani homines plurimum delectarentur? Hiberno, inquit rusticus. Tum enim ad focum sedentes, rapas, & castaneas assamus: & cœnati, circa ipsum focum cubantes, suaviter dormimus, noxios interim halitus & vapores tam è summo quam imo gutture efflantes. Ecquid vobis de ejusmodi vita videtur? Mihi quidem, inquit, Nobilis, vos porcorum cognati videmini. Tum rusticus: Dic sodes, quænam vobis urbanis hominibus anni pars est gratissima; Verna, ait alter: quando scilicet redeunt jam gramina campis, revirescunt arbores, vernant flores, avicularum passim auditur concentus, omnia denique rident. Ergo vos, inquit rusticus, asini mei cognati estis, qui & ipse tum temporis omni lætitiâ incedit, adeoque rudere vix umquam cessat.

Vestitu.

Veſtitu non ſuperbiendum.

IN gynæceo quodam nobilis erat puella ſubfuſca, formæ ſuæ nihilominus multum tribuens? quæ quum candida eaque precioſa admodum & artificioſe elaborata veſte ſeexornaſſet,&inter reliquas magnifice ſe inferret, aulicus quidam rogatus,quid ſibi de puella illa videretur,*Muſca*,inquit,*Pariet inſidens tabulæ.*

Vana gloria ſe ipſam confundit.

EQues quidam Hiſpanus, cæterum vir probus: ſed ultra modum ambitioſus, in Apulia oræ maritimæ partem aliquam cum imperio regebat. Per id tempus myoparones aliquot Turcici non exiguum piratarum numerum in terram expoſuerant: ſed qui mox ab incolis celerrime convolantibus, partim cæſi, partim captis etiam aliquot navibus, repulſi ſunt. Quamvis autem Gubernator prælio ipſe non interfuerit: quia tamen id ſuis auſpiciis geſtum & confectum putabat, ejus quoque gloriam ſibi deberi arbitratus, rei geſtæ hiſtoriam in pariete ad portam ſui Palatii depingi curavit, addita brevi narratione, & in primis ſuo tamquam capitis ac præcipui ducis nomine. Erat vero totum opus negligenter & perfunctorie factum: idque pluviarum & imbrium vi brevi ita ablutum ut vix ul-

lum

lum picturæ vestigium paries exhiberet. In quem intuens illac forte transiens Hispanus quidam, qui conflictui interfuerat, *Bendita*, inquit, *piedra, quæ non quiereis dezir lamentira*, id est, *Benedicta petra (seu, paries) quæ mendacio astipulari non vis.*

Ridicula consolatio.

SCripserat nescio quis ad Cardinalem Polum litteras, quibus eum de morte singularis cujusdam amici consolabatur, multis præter rationem congestis rationibus. Quas legens Polus, Pol vere, inquit, litteræ hæ ad consolandum accommodatæ, quas nemo sine risu facile legerit.

Inanis cura & sumptus.

IDem nescio quem videns, barbam & capillos impense curantem atque exornantem, dicentibus familiaribus, in unam rem binos scutatos singulis mensibus impendere, Itane? ait. Crediderim ergo barbam ipsius pluris esse quam totum caput.

Quæ nocent, docent.

CAtharina Henrici VIII. Angliæ Regis uxor ad familiares sæpe dicere solebat, nec adversam nimis, nec minus prosperam vitam sibi in votis esse. Etsi verò tam hanc quam illam graves admodum comitentur

 ten-

tentationes & pericula, & ſane mediocris ſeu temperatus vitæ ſtatus ſit optimus & maxime expetendus: ſibi tamen ſi optio detur, malle miſerrimam quam omnibus (uti putantur) bonis & deliciis affluentiſſimam agere vitam; Afflictis enim raro deeſſe ſolatia? ac fortunatis rectam rationem ferè ſemper.

Portus animæ.

BEatus Ægidius in tribus ajebat animarum tranquillitatem conſiſtere. Primum eſſe, ut miſerias & tentationes perferamus & vincamus: Secundum, ut poſt quam boni aliquid egerimus, tanto magis nos humiliemur, Tertium ut ea quæ non videntur unicè deſideremus.

Idem longum ad inſtar gruis collum ſibi optabat, non ut Philoxenus ad cibi & potûs diutius guſtandas delicias, ſed ad verba tam leviter alias evolantia diutius continenda.

Imperia animæ periculoſa.

CUm Carolo V. Imperatore familiariter aliquando loquebatur Antonius Læva homo magnam in re militari laudem conſequutus. Delapſo ad res Italiæ ſermone. Læva Imperatori facilem, ut putabat, totius Italiæ ſubjugandæ rationem commonmon-

monſtrat; ante omnia hos, illos Principes è medio tollendos, inquiens. Ibi Imperator Quid interim ac dein animæ futurum eſt? Ergo tu, ait Læva, animam habes? Vade, & Imperium abdica. Illud nempe innuere volebat, conſcientiam & dominationem non bene inter ſe convenire. Falſo: quum Pietate & juſtitia ſerventur regna: & Tyrannide nihil ſit inſtabilius, nihil minus fidum. Videtis Principes, quales vos circumſtent miniſtri!

Religio militaris diſciplinæ fundamentum.

ALio ingenio ex eadem gente fuit Camillus Urſinus, qui bonum militem eſſe negavit qui non eſſet bonus Chriſtianus. Addens, Corruptæ hodierno tempore militaris diſciplinæ præcipuam cauſſam eſſe contemptum Religionis.

Senectutis commoda.

DIcere quidam ſolebat, tribus his prærogativis (ſcilicet) à Natura ſenes dotatos eſſe, ut plus videant, plus valeant, & plus imperent. Plus videre; ut quibus ob viſus debilitatem pleraque gemina videantur. Plus poſſe; ut qui mulum conſcenſuri, & pedem in ſtapeda ponentes, ephippium ſeu ſellam, loco ſuo motam, omnino ad ſe trahant. Plus vero imperare, quibus è de-

è decem rebus quas decies petierint, vix una ſemel miniſtretur.

Par pari referendum.

PEtrus Niger per vicum iter faciens, canem ad ſe accurrentem & nudatis dentibus mox in ſe irruiturum, haſta transfixit. Ea propter ad magiſtratum à villico tractus, & rogatus quid ita in miſerum animal ſæviiſſet, idque non inverſa potius haſtæ quam præpilata parte percuſſiſſet: Eò, inquit, quod ille non cauda, ſed dentibus morſum mihi minabatur.

Bona hujus Mundi tranſitoria.

AMicis ſuis Rex quidam theſauros à patre relictos, in primis vero gemmas & uniones immenſi & ſplendoris & precii monſtrabat. Inter quos quum unus in has voces erupiſſet: O pulchras res! o precioſum theſaurum! Sed illud unum dolendum mihi videtur, quod morientibus hæc omnia relinquenda ſunt. Tum Rex: Stulte loqueris. Si enim parentes mei non fuiſſent mortui, ego iſta non haberem, adeoque nec Rex eſſem.

Victoria quævis bene parta.

CAſtrutio Caſtracano, Lucæ, *Piſarum* & Piſtorii Domino magis placebant vi-

ctoriæ astu quam vi & armis partæ. Ajebat enim victoriam, non modum victoriæ existimationem & gloriam conciliare. *Dolus an virtus, quis in hoste requirat?*

Eodem homine vix quisquam fuit ad pericula subeunda audacior, & in iisdem dispellendis cautior. Ajebat, homini tentanda omnia nec quidquam pertimescendum. Fortunam quippe, seu Deum ipsum fortes juvare; & inertes à fortibus castigari.

Aliena sæpe aliis prodest stultitia.

CIves duo una animi recreandi caussa extra urbem progressi, cuculum forte audiunt more suo coccyssantem. Heic alter alterum cum risu intueri, utri avis illa cantaret, id est, utri parum faustum ac pudicum matrimonium nunciaret (qui enim Cuculi nominentur, notum est) inter se contendunt. & ad convitia, ut fere fit, deveniunt; adeoque ipsum adeunt judicem, & de facta sibi ab altero injuria conqueruntur. Instituitur lis seu processus, in quem quum uterque pecuniæ aliquid impendisset, judex eam sententiam tulit, Neutri, sed sibi soli Cuculum illum coccyssasse: sicque eos dimisit.

Vanitas irrisa.

IN diverſorio cœnabat mercator quidam, negociandi cauſſa diſcurſans. Forte fortuna eodem venit eques quidam: qui de nomine ſuo rogatus à mercatore, ait, ſibi nomen eſſe: Don Joanni Ramiro de Mendoza & Guſman. Tum mercator, Equidem, inquit, pro uno adhuc tam locum hic quam cibi copiam video: ſed pro tam multis nec locus nobis eſt nec apparatus.

Excerebrati.

UNa habitabant duo litteratores, Poëta unus, alter Muſicus. Dum variis de rebus inter ſe diſſerunt, inprimis de bonarum artium contemptu, alter. Hei, inquit quo jam deventum eſt? o ſæculum ingratum! Equidem hodie auribus meis audivi aulicum neſcio quem, dicentem, tam Poëtas quam Muſicos cerebro carere. poſt mutuam conſolationem, puerum cuius communi miniſterio utebantur, ad ſe vocant, & adnumeratis aliquot denariolis, in cœnam caput vitulinum ſibi apparari jubent. Facit puer quod juſſus erat, & ſub cœnæ tempus caput vitulinum patinæ imponit. Interea illis ſolito diutius manentibus, nidore & fame victus, cerebrum, guſtatu illectus, totum vorat. Inde reverſis heris caput apponit: quod quum cerebro

vacuum

vacuum illi vidissent puerum inclamant. Quid hoc est? Ille, Musicus, inquit, & Poëta.

Sera post mortem medicina.

PRinceps quidam in sua familia morionem, seu hominem simplicem alebat. Huic quum è cubiculariis quidam vexandi gratia, dixisset, Ego te occidam, trepidus ille ad Principem se recepit, & periculum suum exponit. Ibi Princeps. Bono esto, ait, animo. Ille si te occiderit. jussu meo statim in patibulo suspendetur. Hoc non volo? inquit Morio, sed illud tantum ut uno die prius eum suspendi jubeas, quam me occidat.

Maturanda, quæ abscondi non possunt.

DUxerat aliquis uxorem, sed quod dici solet, vaccam cum vitula. Quum post paucos menses infante nato, error prorupisset, & plerique dicerent, partum nimis mature editum, quidam, Non hoc forte est, inquit, sed nuptiæ nimis sero sunt celebratæ.

Omnium rerum vicissitudo.

ALvarus de Luna inter Hispaniæ magnates non postremus, pro insignibus utebatur Luna dimidiata. Ea insignia quum quidam parieti appicta vidisset, sub-

ſcripſit: *Numquam plena*. Alvarus comperta re, hominem ad ſe vocat, & quid ſibi vellent ſubſcripta illa verba, rogat. Ille, Hoc inquit, quod ſummopere tibi optandum puto. An tu enim neſcis, Lunam quam primum plena fuerit, ſtatim minui?

Ridiculum terriculamentum.

MArtinus Scarſus, Prati (uti Itali magiſtratum vocant) Poteſtas à ſpiritualium rerum Vicario rogatus fuit, ut Clericis quibuſdam, qui ad Eccleſiaſticam normam non vivebant, metum injiceret, ſicque eos ad meliorem converteret frugem. Deſignatos citat Scarſus in diem ſequentem, & unum in conclave includit: ipſe dein veſtem pellitam inverſam indutus, eòdem ingreditur, & nigro ſindone vultum celans jam hunc jam illum, baubans interim, puerili more inſequitur. Clerici non ſine riſu inſequentem hac illac fugiunt, inuſitatum ludum in homine gravi admirantes tandem dimittuntur. Non multo poſt idem redit Vicarius, iterumque ſerio de mala Clericorum vita conqueritur, addens, neceſſarium ſibi videri ut non inani, ſed vero aliquo terriculamento ad frugem revocentur. Scarſus iterum vocatos eodem conclavi includi, mox ſingulos evocari, & per miniſtrum nodoſæ chordæ una & altera plaga

affici

affici jubet. Hac de re certior factus, Vicarius Scarſo non tantum ſuccenſuit, verum etiam ob Cleri honorem violatum dicam impingere voluit: ſed ille alium modum terroris injiciendi quam quibus uſus eſſet neſciiſſe ſe ajebat. Verum terrorem eſſe ultimi ſupplicii.

Importunitas convivialis.

QUidam ad amicum cœnandi cauſſa frequenter commeare ſolitus, quum juſſu patrisfamilias cœna longius differretur, hominem inclamabat, Ecquando tandem cœnandi tempus eſſet, Cui ille, ubi tu, inquit, diſceſſeris.

Remedia ſanitatis.

ANimi cauſſa Pontifex (Paulum III quidam fuiſſe ajunt) Româ prodierat. Non longe ab urbe occurrit ei ſenex ruſticanus optimæ ſtaturæ, vividi coloris barba ad umbilicum uſque promiſsa, & ruſticorum quidem more, ſed honeſte & decenter veſtitus. Ad ſe vocatum Papa interrogat tum de vitæ genere tum de ætate. At ille, nonagenario ſe majorem eſſe: ruſticanam agere vitam & è prædioli quod diligenter coleret, fructibus vivere: quotidie tam negociorum quam corporis exercendi cauſſa, unum & alterum milliare pedibus

obire: uxorem ſibi eſſe, tum filios, itemque nepotes ac pronepotes, qui multum ſolicitudinis ac curarum ſibi faceſſerent. Rogatus, quibus modis in tanta ætate vires conſervaret, Ego, ait, nec cibos nec veſtitum muto, nullis utor condimentis, nec ulla re appetitum provocare ſtudeo: tum curas omnes, quantum poſſum, à me ſegrego. Reſponſo delectatus Pontifex, centenûm aureorum penſionem annuam homini aſſignavit, ut reliquum vitæ tanto tranquillius exigeret. Gratias ille egit his verbis: Non nego, Beatiſſime Pater, humillimas me liberalitati tuæ debere gratias: ſcio tamen eamdem annis vitæ meæ detracturam potius aliquid quam addituram

Perfidia ſæculi.

CONcionator quidam magiſtratum admonens ut juſtitiam æquabiliter omnibus adminiſtrent, Scio inquit, vos quando ejuſmodi officia aditis, jusjurandum præſtare eam à vobis integre adminiſtratum iri: ſed credo ego vos jam ante aliud jusjurandum dediſſe, quod quidem multo diligentius obſervatis, nimirum vos nihil eorum quæ juraſtis facturos.

Nationum proprietates seu colores.

MOnebat quidam (an recte, nescio) ab Italo ruffo, ab Hispano albo, & à Germano nigro cavendum esse.

Ridicula excusatio.

EQues quidam cum aliis iter faciens, quum ad flumen ventum esset, primus id ingressus est, sed non reperto vado, parum abfuit quin cum equo suffocaretur: Tum comitum unus, Mihi hoc mirum videtur, inquit, quod antea jactasti tanti te equum tuum facere, cui hodie, nobis inspectantibus, vitæ periculum creasti. Ille, Erras, ait, Bene certe inter me & equum meum convenit, ut qui, non diu est comporaverimus.

Linguæ custodia.

SApiens quidam ajebat, qui civili conversaversatione fœliciter & cum laude uti velit, ei imprimis linguæ curam habendam esse, ne quid temere: ne quid vane; ne quid superbe effutiat. Esse enim linguam velut speculum animi, in quo omnes ejus affectus expresse cernuntur, esse hunc vere Lydium lapidem, quo quidquid in homine est virtutum aut vitiorum, exploretur.

Rara viduæ castitas.

VIdua quædam in secundum matrimonium expetita, Mors, ait non debet extinguere castæ mulieris amorem.

Bonum oblivionis remedium.

HOmo quidam debilissimæ memoriæ ex amicis cuidam scutatum mutuo dederat; sed nomen ac personam oblitus, multum sese cruciabat, nec tamen quis ille esset, reminisci poterat, Id quum uxor ex eo intellexisset, consuluit, ut quicumque occurrens ei Bonum diem optaret, gratias quidem ageret, sed statim subjiceret: Malim tamen ego meam pecuniam. Quid fit; quum multi frustra occurrissent, ut qui verborum illorum mysteria non intelligerent, tandem ille cui pecunia mutuo data fuerat, offensus responso, Alia, inquit, & magis modesta ratione reposcere mutuum poteras: quod tamen non invitus jam tibi repræsento. I nunc, & muliebrem sexum consilii expertem crede.

Insignis humanitas.

IN Hispania moris est, ut Prætores (quos Alguaziles vocant) noctu vicatim obambulent & apud quemcumque arma deprehenderint, auferant, secumque asportent. Eorum unus quum in hominem

valde

valde onuſtum incidiſſet, rogat, quænam arma ferret: pallioque rejecto, quum non mediocrem lagænam vino plenam deprehendiſſet, eam cum ſatellitibus ſuis totam evacuat, ajens: Se gladium ſibi ſumere, ſed illi, vaginæ gratiam facere.

Argutum Romuli reſponſum.

ROmulum dicunt (ex L. Piſonis Annalibus refert Agellius) ad cœnam vocatum ibi non multum bibiſſe: quia poſtridie negocium haberet. Ei dicunt: Romule, ſi iſtud omnes homines faciant, vinum vilius ſit. Is reſpondit: Immo verò carum, ſi quantum quiſque volet, bibat, nam ego bibi quantum volui.

Ipſe fac; ſi rectè factum velis,

AVicula eſt Parva, nomen ejus Caſſita, habitat, nidulaturque in ſegetibus? id ferme temporis ubi appetit jam meſſis, pullis jamjam plumantibus. Ea caſſita in ſementes forte conceſſerat tempeſtiviores: propterea frumentis flaveſcentibus, pulli etiam tunc involucres erant. Quum igitur ipſa iret cibum pullis quæſitum, monet eos ut ſi quid ibi novæ rei fieret diceretürve, animadverterent: idque uti ſibi, ubi rediſſet, renunciarent. Dominus poſtea ſegetum illarum filium adoleſ-

adolescentem vocat, &, Videsne, inquit, hæc ematuruisse & manus jam postulare? idcirco die crastina ubi primum diluculabit, fac amicos adeas, & roges, veniant operamque dent mutuam, & messem hanc nobis adjuvent. Hæc ille ubi dixit, discessit. Atque ubi rediit cassita, pulli trepiduli circumstrepere orareque matrem, ut statim jam properet, atque in alium locum sese adsportet, nam dominus, inquiunt, misit qui amicos rogaret, uti luce oriente veniant & metant. Mater jubet eos à metu otiosos esse. Si enim dominus, inquit, messem ad amicos rejicit, crastino seges non metetur: neque necesse est hodie ut vos auferam. Die igitur postero mater in pabulum volat: dominus quos rogaverat operitur: sol fervet, & fit nihil, & amici nulli erant. Tum ille rursus ad filium, Amici isti, inquit, magnam in partem cessatores sunt: quin potius imus & cognatos, affines vicinosque nostros oramus, ut adsint cras tempori ad metendum. Itidem hoc pulli pavefacti matri nunciant. Mater hortatur ut tum quoque sine metu ac cura sint: cognatos affinesque, nullos ferme tam esse obsequibiles, ait, ut ad laborem capessendum nihil cunctentur, & statim dicto obediant. Vos modo, inquit, advertite, si modo quid denuo dicetur. Alia luce orta, avis in pa-

stum

ſtum profecta eſt : cognati & affines operam quam dare rogati ſunt, ſuperſedent. Ad poſtremum igitur dominus filio, Valeant, inquit, amici cum propinquis. Afferes prima luce falces duas, unam egomet mihi, & tu tibi capies alteram, & frumentum noſmetipſi manibus noſtris cras metemus. Id ubi ex pullis dixiſſe dominum mater audivit, Tempus, inquit, eſt cedendi & abeundi, fiet nunc proculdubio quod futurum dixit. In ipſo enim jam vertitur cujus eſt res, non in alio unde petitur. Atque ita caſſita nidum migravit, & ſeges à domino demeſſa eſt. Hoc ſcilic. illud eſt quod libri Philoſophorum monent, *Ut nobis tantum ipſis nitamur.*

Laſcivia facete refutata.

PUella ruſtica tam forma quam ætate florens, è mercatu domum proficiſcens, aſinam ante ſe agebat. A laſcivo quodam adoleſcente obvio rogata, cujas eſſet, & quonam iter haberet, ſetaſam inquit, Ille. Noſtine Ferdinandi Lupi filiam; (is eodem in pago habitabat) Optime, inquit. Vicinæ ſumus. Tanto melius, ait adoleſcens: & propius accedens, Hoc, inquit, te rogo, ut oſculum a me ſumptum, illi reddas. Puella, *Melius*, inquit, *feceris, ſi aſinæ meæ illud oſculum des perferendum. Is enim prior me domum veniet.*

Honoranti honor reddendus.

COmes quidam Hiſpanus quum Archiepiſcopo neſcio cui obvio debitam exhibuiſſet reverentiam, ille vero pileum primoribus tantum digitis velut delibaſſet: Comes, Credo ego, ait Archiepiſcopum hunc noſtrum aut auribus carere, aut ſcabioſum habere caput: quod ſcilicet nudare non auſit.

Eidem quum ex aula regia quidam obviam veniſſet, & roganti qui de ſe in aula ſermones eſſent, diceret ſe nec boni nec mali quidquam de ipſo audiviſſe: hominem plagis aliquot ſeu fuſtuario affici, ac dein eidem quinquaginta ducatos numerari juſſit, addens: ubi jam in aulam redieris, cauſsam habebis & bonum & malum de me dicendi, *O mirifica hominum ingenia!*

Principem & juſtitia & Clementia decet.

SApiens quidam ex omnibus virtutibus juſtitiam & Clementiam Præcipue in Principibus requiri dixit. Illa enim bonorum; hac etiam improborum benevolentiam promoveri. Sed res duæ tam diverſæ prudenter miſcendæ & temperandæ ſunt.

Eadem arma non omnibus uſibus apta.

CLericum Cantabrum natione Cardinalis Petrus Conſalvus Mendoza reprehende-

henderat, quod armatus incederet. Excusanti se non ut quemquam offenderet, sed ut à canum morsibus se tueretur, arma ferre: Cardinalis, Atqui, ait, eo in casu & plerisque aliis Clerico convenientius est ut Evangelium S. Joannis recitet, & spiritualibus armis sese defendat, Tum Clericus, Ne hoc quidem armorum genus ego aspernandum putem: nisi scirem esse canes aliquos qui Latinæ linguæ plane sunt imperiti.

Orbilius confusus.

PÆdagogus quidam Orbilio plagosior, puerum virgis ad sanguinem usque cæciderat? puer dimissus femoralia attrahere cunctans, licet monitus, Immo, inquit, Optimum fuerit, ut vestibus omnino me exsuam, ut quæ ex patriæ consuetudine carnifici cedunt.

Magno magna decent.

AD Alphonsum Aquillarem bello & toga clarissimum virum Castiliæ Rex Ferdinandus diverterat. Erat vero ceteroqui arx magnifice structa atque exornata: quum vero Regi per scalas admodum angustas ascendendum esset, rogabat Alphonsum, cur scalas illas ampliores fieri non jussisset. Ibi Alphonsus. Numquam ego putavi fore ut tam magnus hospes ad me divertat,

Vini

Vini natura.

BErnardus Palomus facetus admodum Monachus de vino dicere solebat: Si vinum aqua diluas, vinum perdis, si non diluas, te perdis.

Forma cito abit.

DE iis qui in ducendis uxoribus formam præcipuæ spectant, quidam dicere solebat: Post sextum mensem maritis deformes, at aliis tum formosas videri.

Excusanda corporis vitia.

QUidam mulierem claudam duxerat. Irridentibus amicis & hominis imprudentiam accusantibus, Atqui, inquit ille, non eò illam ego duxi, ut cum illa venatum eam.

Frugale convivium.

INvitatus quidam Germanus ab Hispano ad cœnam, quum initio statim raphanos appositos vidisset, At in mea patria, inquit, in fine convivii raphani apponi solent, tum Hispanus: Itidem apud nos.

Nobilis quis.

EXtraneum nobilitatem suam ad tædium jactantem plebejus quidam adunco naso suspendebat. Id ille ægre ferens. Tune bestia, inquit, scis in quo sita sit nobilitas?

tas? Optime scio, ait alter: nempe in eo ut quis sexaginta milliaribus absit a patria.

Avaritia misera.

CUidam iter facienti hospita prægrandem catinum jusculo plenum, cui pauca admodum pisa innatabant, opposuerat. Inclamat ille famulum, & admotis ad ligulas manibus, quid vellet rogatus: Volo, inquit, ut thoracem mihi detrahas. Dicenti, quam ob rem? ut inquit, per gurgitem hunc enatem, & ipsa illa paucula expiscer.

Medicorum benignitas

VIdens quidam hominem aureo torque multiplici exornatum, tum digitos annulis aureis plenos gestantem, rogat quisnam esset ille tam magnifice se inferens? Ajunt, Medicum asse & scitum, inquit alter, Medicum, qui icterum (Germanis *Gelbsucht*. ad auri quippe colorem alludebat) ab aliis in se transfert.

Veterinarius quidam a Doctore Medico ad curandam mulam accersitus, mercedem oblatam accipere recusavit, Indignum dicens factum fore, si ab ejusdem Facultatis hominibus quidquam mercedis nomine acciperet.

De linguarum differentiis.

MUlti inter linguas ita distinguunt, ut dicant, cum Deo, ob Majestatem, Hispa-

Hiſpanice; cum Principibus, ob gravitatem, Italice? cum feminis, ob gratiam, Gallice? cum hoſtibus vero, ob terrorem, Germanicè loquendum eſſe. Sed hac de re audi ſis, non illepidam hiſtoriolam. Legatus quidam Germanus apud Imperatorem Carolum V. dicere juſſus, quum ſermonis & linguæ auctoritate Hiſpanos ad applauſum commoviſſet, ex iis unus ita cenſebat; opinione ſua Germanicam linguam & graviorem & ſeveriorem eſſe, atque ſe credere, & *Deum quum expelleret è Paradiſo Adamum, & Angelum gladio formidabili, qui Paradiſo cuſtos datus eſt, terroris majoris cauſſa Germanicâ linguâ illum noſtrum patrem increpuiſſe.* Cui Germanus non ſine ſale reſpondit, Hiſpanicæ non minus ſe magni facere pompam quam ſubtilitatem; & perſuaſum habere, *diabolum quum Evam circumvenire vellet, linguâ Hiſpanicâ fraudum & callidorum conſiliorum tragulis aptiſſimâ, uſum fuiſſe.*

Optimum remedium à ſeipſo

BAjaſetes I. Turcarum tyrannus (& talis proprie fuit) utebatur quodam æthiope apud Indos nato familiariſſime & ſuaviſſime; eumque ob facetias & lepores plurimum diligebat. Accidit aliquando ut Bajaſetes caſtra metatus in planitie tento-

tentorium figi juberet, ad arborem quamdam ſublimem. Hanc intuens, *Bre Areb*, inquit (hoc eſt). *Heus æthiops ſi me amas, in hujus arboris verticem conſcende.* Statim æthiops, exutis veſtibus, paret, & ſcandit. Ad faſtigium ubi pervenerat, Bajaſetes mandat Solachiis (ſatellites ſunt, qui circa Sultanum equitantem in albis ſubuculis curſitare ſolent) ut admotis ſecuribus mox arborem continuis ictibus dejiciant & proſternant. Quibus ſtrenue heri imperium exſequentibns, æthiops, arbore prope tota jam reſecta, anxius & præcipitio proximus Sultani Conſiliarios infra arborem ſtantes obteſtatur ut apud Bajaſetem intercederent, & vitæ gratiam impetrarent. Sed fruſtra eorum ſollicitabat interceſſionem, qui nec prodire iu conſpectum Bajaſetis, ne dum unico verbulo eum compellare audebant. Æthiops itaque conſilio ex tempore & re nata capto ſtratagemate extremum vitæ periculum antevertit, & ſubito ſolutis feminalibus ſeu ſubligaculis, ventris ſordes, quas ipſe timor non parum propellebat, excernit in ſatellites, qui arborem ſecabant. Hiſce verò ad tam inopinam ſordium grandinem ab opere diffugientibus, æthiops ex arbore ſe dimittit, & appellatis Sultani Conſiliariis qui ſpectaculo præſentes adſtabant, *utinam Conſiliariis veſtris ſimilibus idem hoc*

uſu

usu veniat, inquit, *ut conspurcentur! quorum verba tantum non valent quantum meæ sordes*, Proverbio dicuntur *Turdi malum sibi cacare*? at hic sibi salutem. Tanti est à seipso & consilium & opem petere.

Præpostera liberalitatis ratio

DIves quidam ad thermas valetudinis causa profecturus, hominem facetum & omnium horarum, comitem sibi adscivit, ut haberet quicum otium suum oblectaret. Antequam verò iter ingrederetur, rogat eum quanta opus esse putaret pecunia? At ille, Id se non scire, sed suadere ut tantam sumeret quanta sufficeret, sic ut superesset potius aliquid quam deficeret. Rectè mones, inquit dives eoque tuum sequutus consilium, crumenam ad summum implebo. In via quum mendicus totus pannosus & famelicus eis occurrisset eleemosynam propter Deum petens, Dives diu in crumena quæsitum denariolum ei dat. Alter illi irato quasi vultu, Quid tu, ait, pecuniam usui nostro sumptam ita prodigis? Nunquid meministi nos modo ad thermas ire, nondum reverti? Quid si sumptus, deinde nos ipsos deficiant? Dives seriò hæc dici existimans: Nescis tu, inquit, quid ego agam, Misero huic denarium ego dedi, quem ego ad regnum Dei acqui-

acquirendum mihi profuturum arbitror, Ergo tu, ait alter, denario Dei regnum te acquisiturum putas? Affirmanti, Si ita est, inquit, cur non ei quantum in crumena habes, largitus es, ut scilicet oretenus anima tua ad cœlum evolet? Mihi quidem rationes tuæ non placent: qui tantam pecuniæ summam corpori parum recreando, Dei autem regno acquirendo unum denariolum impendere velis? illic tamen semper, hic (in thermis) ad summum per viginti dies mansurus.

Remedium morbo gravius.

BEllo inter Florentinos & Senenses, quibus Galliarum Rex auxiliabatur, flagrante, civis quidam Senensis cum filio circa urbem obambulans, loca singula diligenter contemplabatur. Id animadvertens filius, ut se quoque militaris rei non imperitum ostenderet, patri locum monstrat, Hac, inquiens, auxiliares Regis copiæ multo facillimè in urbem recipi possunt. Tace, ait pater, mi fili, & melius ominare. Mihi quidem major metus est à theriaca. quam à veneno.

Somnolentiæ præmium.

EQues quidam Montricensis, haud magna cum re, ut ille ait, ambitiosus tamen

men & conservandi sui status cupidus, famulum conduxerat Martinum nomine, hominem mirifice somnolentum, Habebat ille amicum, non procul ab urbe rusticantem: quem invisere volens, ante villæ portam ex equo descendit, & Martino equum custodiendum tradit. Is manui implicitis habenis, mox in gramen se prosternit, & profundo somno occupatur. Præteribat forte lavernio quidam, & ab occasione invitatus, ubi hominem altum stertere animadvertit, accedit, & abscissis habenis quas Martinus brachio circumplicatas tenebat, ac novis è cingulo suo factis, equum conscendit, cumque eo sese subducit. Non multo post Martinus evigilans, ac semisomnis adhuc circumspiciens, Ego, inquit, aut Martinus sum, aut non sum. Si Martinus sum, heri mei equum amisi? si non sum, habenas has lucrifeci. Quod postea in proverbium abiit, Huic mandes si quid recte curatum velis.

Aulicæ astutiæ.

LEo X. P M. Princeps & ipse litteratus & litteratorum fautor liberalissimus, magnopere delectabatur, si quis homo gravis suorum aulicorum artibus eò esset redactus ut stulte aliquid faceret: vel ut brevius dicam, aliena stultitia lubenter fruebatur? quod

quod qui amabili aliquo ſtultitiæ genere tenerentur, eos omnium feliciſſimos deprædicaret. Ad eum quum homo ſolidæ prudentiæ ac doctrinæ, à Carporum Principe miſſus, neſcio quas litteras attuliſſet, inter ſermones (ut erat Princeps ille valde affabilis) bono illi forte exciderat, earum litterarum à Pontifice maximopere laudatarum, ſe eſſe auctorem. Pontifex inde ambitioſius aliquanto aut vanius ingenium ejus æſtimans, ratus hominis animum ſtulta quadam opinione inflari poſſe, verbis miro artificio accommodatis litteras illas magis magiſq: dilaudare, ingenium ejus ad cœlum ferre: ille vero hoc agi ſentiens, ut his quaſi fumis cerebrum ſibi obnubilaretur, ad pedes Pontificis procidens, ſic loqui; Miſericordiam Pater Beatiſſime, miſericordiam tuam ſi non in me, ſaltem in liberos meos imploro: id innuens ſcilicet, ſe ad ſtultitiam redacto, liberis ſuis nihil aliud reliquum eſſe quam ut ad mendicitarem redigantur. Pontifex hominis ingenium & ſolidam prudentiam demiratus, magnificis donis ornatum à ſe dimiſit.

Aulicum ſtratagema

M. Muſurius, natione Græcus, Latinæ tamen linguæ, & Poëticæ facultatis inprimis peritus, Romæ ejuſdem Pontificis

tempore, in magna apud omnes, ſed præcipue aulicos, (qui plerique litterati) erat exiſtimatione. Is quum accepiſſet neſcio quam Abbatiam valde locupletem vacare, properè in Curiam ſeu Pontificale palatium ſe confert, id unum diſpiciens quomodo ipſe ad Pontificem accedere, & eum alloqui poſſet, quem ſciebat ea, erga doctos maxime, eſſe humanitate, ut non facile cuiquam quidquam negaret. Quum vero nemo eſſet qui eum ad Papam, aliis tum negociis occupatum, vellet deducere; interim metueret ne per longiorem moram ab alio præveniretur: Serapicam, hominem intimæ admiſſionis, & cui hoc unum fere curæ erat ut eos quos Pontifici oblectamento fore exiſtimaret, deduceret, adit, & ſic loquitur: Non diu eſt, quod & tu ſcis, quando Pontifex Dominus noſter, Abbatem Cajetanum Poëtica lauro à ſe ornatum, elephanti inſidentem per Urbem circumduci juſſit. Equidem de me meiſque verſibus ita ſentio, multis paraſangis illius hominis lutulentis non tam carminibus quam criminibus eſſe elegantiores; & ejuſmodi coronam ac triumphum mihi potius quam illi deberi. Id ergo unice à te contendo, ut idem beneficium à Domino noſtro petiturus, & ut ad eum ſine longiori mora introducar. Hæc audiens Serapica, pul-

pulchram & exoptatam oblectandi Pontificis occasionem sibi datam existimans, eum adit, & quid è nescio quo homine audisset, exponit: quem statim introducere jubetur. Musurius ibi ad Pontificis genua provolutus, Ego, inquit, seu sapiens seu stultus habear, Pater Beatissime, humillime rogo, ut Abbatiam illam (expresso nomine) in patria mea, Hydruntino scilicet territorio vacantem, largiri mihi digneris. Hic Pontifex quodammodo ob admissionis modum erubescens, ad cubicularium primo conversus, Tu, inquit, in posterum vale Serapica: hominemque voti compotem à se dimisit.

Adulator irrisus.

EOrum qui omnibus sese placere student, mos est in omnibus assentari. Ait quis, ajunt; negat, negant, &c. Ex hoc hominum genere Pandulphus Petrucius, qui Senarum imperium invaserat & aliquamdiu usurparat, quendam circa se habebat, qui quamprimum Petrucius frigere se dicebat, frigebat & ipse: calere, calebat & ipse: eosdem denique in omnibus rebus quos ostendebat Petrucius, affectus simulabat. Idem Petrucius familiariter utebatur Petro Pecio quodam, homine admodum faceto: qui adulatoris istius mores fastidiens, aliquando

Petrucio ajebat: Equidem vellem ut gangrænam (usitata est apud Italos imprecatio,) *Canchero* (ut ait Merlinus Cocalius) *te mangat, penitus restante niente*, tibi haberes. Quid ita? inquit Petrucius. Eò, ait Pecicius, quod ineptus ille assentator mox quoque eandem sit habiturus.

Sophisticatio elusa.

Filium suum quidam ad Academiam nescio quam miserat, ad bonas discendas litteras ac disciplinas. Is ingenio suo obsequens, omne fere tempus in sophisticationibus & vanis tricis consumebat. Consuetis feriis domum reversus mirum est quam misere rusticos ac vicinos, quibuscum quotidie versabatur, tricis & cavillationibus suis exercuerit: admirabilia scilicet ingenii ac doctrinæ suæ edens specimina. Dum aliquando cum patre cenaret, & quatuor ova mensæ essent apposita, Tu forte, inquit, mi pater, quatuor tantum ova esse apposita arbitraris, at ego probabo septem esse. Ubi quatuor sunt, ibi quoque sunt tria, numquid hoc verum est? Assentiente patre, Numquid, ait, quatuor & tria faciunt septem? Inde quum conclusionem inferre vellet, pater quatuor illis appositis ovis arreptis, Bene, inquit, fili, & acute argumentaris: ego interim quatuor hæc comedam,

medam, tu tribus reliquis esto contentus. Imaginariæ arti imaginarius cibus.

Sui ne te affrica.

MIles quidam lepidissimam feminam Vincentiam nomine, quæ tamen corpore quæstum fecerat, ita perdite amabat ut eam uxorem duxerit. Ea quum aliquando in templum ad sacrum audiendum venisset, ac forte fortuna nobilis quædam matrona eodem consedisset loco, & agnita Vincentia, statim inde abitum moliretur, quasi societate sua indignam judicans, Vincentiâ hilari ac subridenti vultu, Non est, inquit, tu mea, ut à me fugias. Morbus enim quo olim ægrotavi, nequaquam est contagiosus, nisi apud eas quæ eundem morbum amant.

Tene quod habes.

ARlotto plebano sacerdoti (cujus multa faceta apud Italos scriptores exstant) quidam suaserant ut quoddam suum beneficium alicui (sic hodie loquuntur) resignaret, ille vero hanc eis narravit apologiam. Fuit viator quidam, qui cum alio in hospitium delatus post cenam eodem cum illo cubiculo inclusus fuit. Nondum oculis somnum ceperat, quum alterum illum (qui socium viderat, marsupium in quo viaticum habebat, pulvino subjicientem)

 è lecto

è lecto se molientem audit, procul dubio nummis illis insidiantem. Quare screare & sputare occipit, ut vigilare se adhuc ostenderet, ille verò alter tacitus se in lectum refert. Non multo post insidiator ille idem molitur sed screatu rursus adigitur: dum interim miser viator nummulis suis timens totam noctem insomnem exigit, Unde sequenti nocte marsupium non pulvino subjecit, sed in medio cubiculo deposuit, ratus melius esse nummulorum facere jacturam, quam metu & insomniâ cruciari: & sic per totam noctem bene ac suaviter dormivit, mane vero marsupium evisceratum invenit. Idem, inquit Arlottus, ego de meo faciam beneficio. Ad Pontificis pedes deponam, cum conditione ut sumptus mihi restituantur? nec mea interest cui illud postea obventurum sit. Quamquam, ut hodie esse tempora video, valde dubito an & hoc sim facturus,

Ingratis nihil gratum.

AB amico quidam cum aliis ad prandium invitatus, quum gallinam præpinguem sed male assam ac semicrudam adhuc vellet scindere, *Nimis mature*, inquit, *amici ad mensam consedimus. Quantum enim ex hac gallina video non ad prandium sed ad cenam invitati sumus*. O ingratum & impudentem convivam!

Sapien-

Sapientes non qui sunt, sed qui putantur.

HAbebat quidam Princeps in aula sua nobilem juvenem, non ineruditum illum quidem, sed nihil magnificum spirantem, minimeque ambitiosum. Accidit quum Princeps inter aulicos munia quædam distribuisset, ut hunc quoque juvenem ad se vocari jusserit, sic eum affatus: Nôsti tu, & profecto ita est, te vel generis tui caussa, à me valde amari, eoque te promotum velle. Tu vero quando incipies ita te gerere ut officio aliquo dignus videare? Tum juvenis, Quandocumque tibi, illustrissime Princeps, placuerit. Quid agis? inquit Princeps, an ego efficere possum ut tu sapiens aut officio dignus videare? Immò, inquit ille. Da mihi saltem munus, ut reliquis: certe non minus quam reliqui sapiens & aptus habebor. Hoc responso delectatus Princeps, hominem inter Consiliarios suos adscivit.

Præda ante victoriam non distribuenda.

MAximilianus I. Imperator numquam satis laudatus, ab exteris quibusdam Principibus ad fedus contra alium fuerat invitatus, missa etiam jam facta spoliorum distributione, & sua cuique portione assignata. Ille Legatis nihil aliud quam hoc respondit. Est, inquit, Germaniæ nostræ Ci-

vitas: cujus viciniæ prægrandis urſus plurimum damni dabat, unde ei qui tam ferum & noxium animal interemiſſet, magnum erat conſtitutum præmium. Id quum intellexiſſent tres feroces & inconſulti juvenes prædam hanc à manibus nequaquam ſibi amittendam rati, vicinum adeunt hoſpitem, & oſtenſo animi ſui propoſito, rogant ut epulum præbeat: pro quo ipſi ea pecunia, quæ ex interfecti urſi pelle confici poſſet, ſatisfacturi ſint. Accipit conditionem hospes, qui ſolus metum ab illa beſtia multo pluris erat redempturus. Saturi illi, ad belluæ ſtabulum ſeu cubile pergunt: quam quum multo citius quam putârant occurrentem vidiſſent, metu conſternati, pro ſe quiſque hac illac diffugere cœperunt. Et unus quidem perniciofior reliquis è ſaltu velociſſime evaſit: ſecundus in arborem celſiſſimam enixus eſt: tertius, vero quum effugere non poſſet, in humum ſe proſtravit: & in faciem procumbens, ſpiritum continuit, ad quem ut venit urſus, nares auribus aliiſque partibus jacentis admovet: quum vero ſpiritum nullum deprehendiſset, quaſi mortuum, ſeu cadaver aſpernatus, abit, & ad cubile ſuum redit: hæc illo qui in arbore ſedebat deſuper ſpectante, Qui mox deſcendens, cum ſocio, qui interea ſe quoque collegerat, quanto

poteſt

potest cursu se inde proripit: & sic uterque in prius hospitium revertuntur. Ibi qui in arbore sederat eum qui mortuum se simularat, percontatur. Quidnam ursus ipsi in aures immurmurasset, Ille, *Hoc*, inquit, *ne post hac pellem, nisi capto prius urso, vendamus*. Quod quidem apud nos vulgi sermone etiamnum celebratur proverbium.

Ratio insidias deprehendendi.

AD Principem peregrinus quidam venerat, dicens se cum ipso privatim loqui velle, ac docere quomodo insidias quæ ei struerentur, cognoscere posset.
Jussit ut doceret. Dicit is: Da mihi talentum, ut insidiarum indicia audisse videaris. Dedit, se audisse simulans: hominis commentum & artem admiratus.

Feminarum loquacitas.

CIvis quidam facetus homo uxorem habebat, ceteroqui omnibus matrona dignis virtutibus ornatam, sed loquacitatis vitio laborantem. Quum illa aliquando, nescio quam ob caussam, in animi deliquium incidisset, & domestici ad herum trepidi accurrerent, nunciantes conjugi loquendi facultatem esse ereptam, ac mutam sedere, sinite illam sic, inquit. Quod si illa sic pertenderit, nullibi melior invenietur mulier.

Sterilitatis execuſatio.

MAtrona quædam ab iis quibuſcum familiariter verſabatur, rogata quî fieret, ut quum maritum juvenem ac bene diſpoſitum haberet, nullos tamen ex eo ſuſciperet liberos, Maritus meus, inquit, multis fateor ornatus eſt dotibus. Eſt enim bonus Muſicus, bonus ſcriba, bonus etiam Arithmeticus, excepto hoc uno quod non multiplicat.

Male celatur mendacium.

QUidam plurimas regiones vix nomine ſibi notas peragraſſe ſe jactitans, mira admodum, quæ his & illis locis vidiſſet, narrabat. Tum audientium unus, Credo, inquit, in Coſmographia te diu multumque verſatum eſſe. Ille, civitatis id nomen exiſtimans, Non, ait, ibi verſatus ſum, vidi tamen eminus dum ad dextram manum cum navi præterveheremur. *Belle.*

Reſponſum impertinens.

CIvis quidam N. Spirâ veniens, nuncium habuit in via obvium; â quo rogatus, num Spiram poſſet attingere, Non quidem, inquit ille, hac tua haſta (quales portare ſolent nuncii) Non hoc, ait nuncius, quæro, ſed num in urbem intrare poſſim. Quidni? inquit alter, Tu non intres, ubi

ego

ego hodie vidi currum fœno onustum, intrantem?

Sapiens homo à quibus debet cavere?

℞ A Zelo amantium 2. à rapina militum 3. à penna notariorum 4. a Subtili practica procuratorum 5. à mercatoribus non dantibus mutuo. Contra non renuet prandere cum abbatibus: cænari cum advocatis, jentaculum sumere cum Commissariis, aliisque magnatibus, celebrabit Pascha in ædibus suis, at quadragesimam ubiq; Præceptores nostri sic nos instruere solebant: quinque hominum genera frequentant nundinas. 1. Emptores, 2. Venditores 3. Speculatores 4. ii qui spectatum veniunt 5. trium literarum homines, vulgo crumenisecæ, ab hoc quinto hominum genere, discipuli vobis cavete.

Homo cujus partis Orationis est?

℞ PArticipii partis: quia partem capit ab omni animalium genere; sic multis *Struthiocameli* ventriculus est, quia durissima concoquere possunt? aliis adest cor *Leonis*, in quorum numero sunt milites quidam? plures *canis* natura gaudent? quamplurimi *suis*, omnia promiscue devorantes, infiniti *asini* complexione delectantur, à Gallis dicti, *Asnes à courtes oreilles*,

Avarus cui ſimilis?

℟. EST ſimilis porco, nam nemini prodeſt, niſi poſt mortem, ſed invidus, neque poſt mortem quicquam utilitatis adfert, & in vita ſua valde parum.

Quare rex rhombuli, trifolii, cordis & ligonis, quatuor chartarum reges ſemper ſunt pauperes?

℟. QUia continuo ſunt in luſu: juxta illud: ludus homini perditio. Miſerrima eſt præterea conditio eorum regum, nam ſi uni parti nimium pecuniæ detraxerunt, condemnantur ad ignem, & ſicuti magi in cinerem rediguntur.

Quis naſus eſt optimus?

℟. MAgnus, vide Catalogum imperatorum Romanortm, omnes fuerunt naſuit. Numa ſecundus Rex Romanorum, ſeſquipedalem naſum habebat, ideoque nominatus fuit Pompilius, quaſi dicas nanominatus in ſuperlativo gradu; Lycurgus & Solon habebant inſignem naſum, ſi fides ſit adhibenda Plutarcho: Summa omnes Reges Italiæ fuerunt naſuti, excepto Tarquinio ſuperbo, qui ideo etiam urbe & regno pulſus fuit, quiſque apprehendat naſum ſuum, & videat num poſſitfieri imperator qui habent magnum naſum cæteris ſapientiores ſunt; & melius exercent animi fun-

ctiones,

ctiones, quia melius excrementa exeunt, Unde Homerus, quia erat ſapiens, naſutus dicitur; Et proverbio illi dicuntur prudentes, qui è longinquo odorantur, & de ſtupido dicitur, non habet naſum.

Quænam eſt differentia inter ſapientem & ſtultum?

℞ ALiqui menſuræ duæ vini diſcriminant ſapientem à ſtulto. nam cum Doctor menſuram unam atque alteram biberit, nihil differt à ſtulto, alii qui plus vident quam 25. Cæci cum ſuis perſpicillis, ſic reſpondent, nullam aliam eſſe differentiam inter ſapientem & ſtultum, niſi quod hic publice, ille privatim ſive clanculum, ſuam exercet ſtultitiam, certe in quibuſdam etſi ſtultitia foris non appareat, ſemina ſtultitiæ tamen intus latitant, ſed qui ſe putat aliis ſapientiorem eſſe, is ſtultorum imperator dicendus eſt, etenim primus ſtultitiæ gradus eſt aliis ſeſe anteponere, huic quæſtioni fidem imponens vobis omnibus opto annos Neſtoris, divitias Midæ, ipſius autem aùriculas iis qui non habent.

EXPONE VERSUS ISTIUS Epitaphii.

ô Deus omnipotens vituli miſerere Iohannis,
Quem mors præveniens non ſinit eſſe bovem.

Corpus in Italia est, habet intestina Brabantus: Ast animam nemo, cur? quia non habuit.

℞ EST Epitaphium factum in honorem cujusdam studiosi nobilis, Heidelbergæ studentis: qui cum insigniter genio indulgeret, vinumque non pitissando ut decebat, sed plenis buccis hauriret, vitam suam abbreviavit, illius sensus est.

O Deus omnipotens vituli misere Ioannis.

Vocabatur enim Joannes Kalb seu vitulus, quem mors præveniens non sinit esse bovem, metuendum enim, ne si diutius vixisset, ex vitulo bos factus fuisset, corpus in Italia est, &c. Cum nobilis esset corpus ejus Italiam versus missum, intestina vero ad Brabantos. ast animam nemo, cur quia non habuit, certe ebriosi neque vitam neque animam habent: sicuti Paulus dicit de vidua in delitiis versante 1 Tim. 5, vivens mortua est.

Previlegia Scabiosorum.

℞ SI tres Sodales assideant & sint nisi duo vitra, Dominus Scabiosus habebit unum pro se, privilegiatus est, ut solus bibat: solus edat, solus merdet. Si octo hospites diverterint in diversorium, in quo sit curta suppellex, & sint nisi tres lecti, Dominus Scabiosus Privilegiatus est ut unum occupet

occupet (cæteris omnibus tingentibus) solus dormiat, ita bene meretur de omnibus ſcabioſis. innumerabilia ejus privilegia ſunt, hoc privilegium etiam in eos competit, quod leproſos nitore ſuperent, quodque duo ſcabioſi oculati plus videant quam ducenti cæci cum ſuis perſpicillis.

Ridicula cujuſdam ægroti reſponſio:

ÆGrotabat quidam, & cum de ejus vita deſperatum eſſet, cœpit parochus hominem admonere ſuæ migrationis, & inter alia verba conſolatoria ita dixit, præpara te ad ſummam felicitatem, hodie enim portaberis ab Angelis in ſinum Abrahami: ad quod ægrotus, hoc mihi profecto gratiſſimum eſt: nam ſi longa eſt via non poſſum ire pedibus, adeo defectus ſum & infirmus.

Eſtne mendicus præferendus diviti.

R. EST, quia Alexander totius orbis Monarcha invidebat Diogeni paupertatem ſuam dicendo, ſi non eſſem Alexander, vellem fieri Diogenes. 2. Quia paupertas artes perdocet: neceſſitas enim artium inventrix & ingenii largitor: revera dum pauperes ſtudent, divites abdomini indulgent: & quia paupertas ſemper in magno pretio habita fuit, adeo mendici immunes ſunt ab omnibus vectigalibus & ubi

ubique locorum jus municipale (quod quibuſdam in locis multo conſtat) gratis obtinent 3. omnes Reges totius mundi, Principes cives, &c. de jure divino illis tenentur pendere tributum & dare eleëmoſynam, privilegium hoc illis nunquam deerit, quandiu mundi hæc compages ſtabit, nam mendicos ſemper habebimus nobiſcum. Verum quidem eſt quod multum adhibeant diligentiæ, quo ſibi acquirant panem quotidianum, at id illis commune eſt cum advocatis, procuratoribus & tota tribu furunculorum. 4. Cum per mare per terras currat mercator ad Indos, idque ſæpe cum vitæ periculo, ſoli mendici à latronibus liberati ſunt, juxta illud.

Cantabit vacuus coram latrone viator.

5. Cum obærati à ſuis creditoribus vexentur, in ſolos mendicos neque procurator; neque creditor, neque Magiſtratus ullum jus habent? quia calvum vellere difficile eſt, tonſi ſunt uſque ad cutem, eſtque illis domi curtiſſima ſuppellex. Itaque petentes ablegant, contra ab omnibus ſtipem petunt, Cives ſunt totius mundi, cum cæteri homines una Civitate incluſi ſunt, veluti Pariſiis, Roma, Calonia &c. 6. Præterea neque fœda uſura animam ſuam conſpur-

ſpurcant, nemo illis fortunam invidet. videtis ergo paupertatem eſſe malorum refugium, miſeriæ aſylum 7. donum pauperis ruſtici, in vola manus portantis pauxillulum aquæ ad Artaxerxem, nonne ſuperat divitias 100 Dominorum ? pauperibus enim nunquam deeſt bona voluntas, & Thebanus Philoſophus niſi cognoviſſet paupertatis prærogativam, nunquam projeciſſet bona ſua in mare dicens. *Mergam vos ô divitiæ, ne mergar à vobis.* Fabritius id quoque exacte cognovit, cum rapa ſua prætulit auro Samnitarum. magnus Philoſophus nudus exivit civitate Brienia, Diogenes nunquam rupiſſet ſcutellam ſuam ligneam, niſi ſciviſſet, naturam nobis de omni ſuppellectili ſatis ſuperque providiſſe. Et certe tot homines docti non fuiſſent amplexi paupertatem, niſi guſtum aliquem boni in ipſa percepiſſent, breviter mendici quietè dormiunt, non timent crumeniſecas, neque latrones nocturnos, neq; opus habent Helvetiis ad Theſauros ſuos cuſtodiendos, ut id quod res eſt, dicam, homo qui paucis contentus eſt, perfecte dives eſt, imô ditior quam ſi poſſideret opes Cræſi & Alexandri pauper nihil poteſt amittere & tamen ſingulis diebus lucrum facit.

Milites cui ſunt ſimiles.

PArochus quidam videns milites aliquot templum intrantes, abrupto concionis filo ſic illos aggreſſus eſt, vos milites, inquit ſimiles eſtis Chriſto? ſicut Chriſtus toti mundo exoſus fuit, ita etiam vos hominibus exoſi eritis; ſicuti Chriſto multæ fuerunt tenſæ inſidiæ, ſic & vobis inſidiæ tendentur. Chriſtus fuit captus, vos etiam capiemini, Chriſtus fuit condemnatus ad mortem, vos etiam condemnabimini, Chriſtus fuit mortuus in cruce; vos etiam moriemini ſub patibulo. Chriſtus rogatu cujuſdam fuit ſepultus, vos etiam ſi qua gratia reſtat, ſepeliemini, Chriſtus reſurrexit à mortuis vos etiam à mortuis reſurgetis, Chriſtus aſcendit ad cœlos, at vos deſcendetis ad 100. mille diabolorum.

Hiſtoria jucunda de quodam Italo.

ITalus quidam opulentus, cum ſtipem optimam mendico erogaret, mendicus illi gratias egit, multaque fauſta homini precabatur, atque inter cætera optabat, ut Angeli animam ejus in Paradiſum veherent: dives averſatus hoc votum reſpondit, *piu ſero che ſe puo eſſere*, id eſt, ſerius quam fieri poteſt: divitias ſuas cognitas, cæleſtibus ignotis & adhuc ſperandis præferens.

Hiſto-

Historia de Rege Philippo.

REgi summo Philippo obviam factus mendicus petiit largam eleëmosynam quia frater ejus esset, quæsivit Rex ex qua parte, de Adam inquit, Rex jussit ei dari nummulum. Et cum hic diceret hoc non est donum Regis fratris, respondit Rex, si omnibus fratribus tantum darem, nihil penitus retinerem.

Historia Iucunda *de Parocho.*

MIlitem puerulum è baptismatis fonte suscepturum, parochus interrogavit, domine miles tune idoneus es huic muneri sustinendo, ad quod miles, puto quod sic, tum parochus nostine præcepta Dei. ad quod miles quidni; tum parochus quod nam est primum præceptum, respondit miles non vorabis, **du solt nicht Fressen** erras perverse miles, inquit parochus, primum enim præceptum est, *non habebis Deos alienos in conspectu meo.* Imo regerit miles, dominatio vestra fallitur, nonne enim Deus statim à creatione præcepit: *de ligno scientiæ boni & mali ne comedas.* Gen. I. tum parochus, ô miles magna est fides tua, superas me eruditione vel potius astutiâ.

Recità teſtamentum porci?

℞ M. Grunnius Carocotta porcellus talè teſtamentum fecit. ego infra ſcriptus de viſceribus meis dabo ſutoribus ſetas, rixatoribus capitinas; ſurdis auriculas, cauſſidicis & verboſis linguam, Bubulariis inteſtina, Eſiciariis femora, pueris veſicam, Cynedis muſculos, curſoribus & venatoribus talos, latronibus ungulas, muſicis chordas, epulonibus roſtrum, ruſticis merdam: ſucculis mammas; Virginibus caudam, & nec nominando coquo do lego, ac piſtillum, quæ mecum detuleram querceto uſque ad haram; liget ſibi collum de reſte. optimi amatores mei vel conſimiles vitæ, rogo vos ut corpori ſatisfaciatis, bene condiatis, de bonis condimentis, nucleis piperis ac mellis ut nomen meum in ſempiternum nominetur.

Jocus Ciceronis.

CIcero cum à quodam cœna exceptus eſſet ſatis parca & quoditiana, nam pene ſe nulli negabat, valedicens hoſpiti, tacite ei in aurem ſuſurrabat, non putabam me tibi tam familiarem.

Diogenes Cynicus domum epulonis cujuſdam videns inſcriptam pretio venalem, quid dixit?

℞ SCiebam aliquando fore ut diuturna crapula dominum evomeres.

PHA-

PHALERÆ POETICÆ

recreationis causa adjunctæ.

Opum nimia Cupiditas quanta mala Proferat.

PRopter opes acquirendas mala plurima fiunt.
Et bona deficiunt plurima propter opes,
Propter opes se mercator dat mille periclis.
Exponitque mari se, se sua propter opes,
Propter opes vetulo fit sponsa puella marito,
Ducit anum juvenis vir quoque propter opes.
Propter opes quandoque volens vir cornua sumit,
Sæpe dat invito fœmina propter opes.
Propter opes tolli patitur sibi virgo puderem.
Floreque fit dempto publica propter opes.
Propter opes, quaruntur opes, opulentia crescit,
Crescit avarities sordida propter opes,
Propter opes, quecunque prius promissa, negantur,
Et data dicuntur non data, propter opes,
Propter opes spes sæpe ruit, vota irrita fiunt:
Summaque ad ima ruunt omnia propter opes.
Propter opes medicus sæpe haud bona pharmaca scribit,
Æger & hac renuit sumere propter opes
Propter opes etiam carißima pharmaca fiunt.
Quæ nequeunt inopes sumere propter opes.
Propter opes inopes medicos accedere nolunt.
Auxiliumque negant hi quoque propter opes.
Propter opes lites injustæ, injustaque dantur,
Iudicia injusto à judice propter opes,
Propter opes, ditumque domos, inopumque pererrant.
Et cupiunt fures omnia propter opes.
Propter opes passim sunt prælia, bella, rapinæ.
Pacis iniqua etiam fœdera propter opes.
Propter opes quid non patitur miserabile mundus?
Proditur arx, urbes regnaque propter opes.

Propter opes nunquid Christum vendebat Judas.
Et crepuit pendens arbore propter opes.
Propter opes homines animam cum corpore perdunt.
Sic perduntur opes, cunctaque propter opes.

Quid est mulier? (*bum:*

Resp *Est animal totum Magna cum fraude super-*
Quid dicam recte, laus, fraus, muliebria sunto.

T. C.

Non omnibus recte feceris.

Diversis diversa juvant, quod spreverit unus
Alter amat. cunctis nemo placere potest;
Debet adhuc nasci ille coquus, qui noverit omnes
Sic condire cibos, sapidi ut sint omnibus æque.

In hæreticum quærentem cur non furca quam sanctorum statuæ colerentur, cum una sit ligni species.

Cur non furca tibi ut coliturGereonis imago.
Quæris: cum species una eademque rei.
Dic mihi cur cluni sponsæ non basia figas.
Ut labiis: species una eademque cutis.

T. C.

Quæritur Fabianus cur cerebro Careat.

Extra Calvescunt alii; tu Calvus es intra.
Crinibus hi, cerebro tu Fabiane cares.

Halec laudatur.

Halec aßatum Convivis est bene gratum,
De solo capite faciunt bene fercula quinque.

In Helluonem.

Pocula multa bibis, nec potus ebrius extas;
Rem magnam præstas helluo: porcus idem.

Podagra.

Ut Veneri immodicus crebræ nupsisset Jacchus?
Turgida protractim nata podagra fuit.
Filia quam sociam quærat sibi nemo procorum.
Ad senium sed quæ tristis alenda domi est.

Pu-

Publicanus.

Si quando excruciant tua te delicta paventem.
Quisquis es, exemplo disce rogare meo.

In Chymicum.

Qui satur est vitæ, tractet perimentia vitam,
Arsenicum, stibium, Mercuriusque vale.

In tardos belli Duces.

Ducunt, producunt longos pigra bella per annos,
Et vere nomen Commeruere Ducum.
Ducunt, producunt, cum Rege & principe cives
Ad miseram restem, sunt iterumque Duces.
Ducunt, adducunt, argenti pondera & auri
In proprios loculos, suntque manentque Duces.

Beginna, Bogardus.

A nigro hoc differt albata Beginna Bogardo,
Bajulat hæc agros, bajulat ille sitos.

In Sixtum.

Mortua, Sixte, tua est, vetus hoc inscribe sepulchro:
Hic jacet Elisabet. si bene fecit habet.

Querela senis.

Quæ me juverunt juvenem præclara gerentem,
Omnia jam cessant, destituuntque senem.
Quam vere morbus dicta est tristisque senectus,
Corpore bis pueros, qua quoque mente facit,

Monitio utilis.

Oscula da manibus, genibus da, da pedibusque,
Si vere vis quid lambere, Lambe caput.

Vult non vult dare Gallia.

Vult non vult meretrix, simulat se nolle quod optat,
Allicit, allectum vexat ut alliciat.
Casta videri vult, & se vult ante rogari.
Præmia pro merito vult sibi magna dari.
O insensatos laqueis qui talibus hærent!
Prudentum Scorti quisquis ab ore fugit.

Ad Fratres Germanos A la mode.

O Alamodistæ, quid mos vult ludicrus iste?

Cum

Cum cattis quorsum vobis tam flexile dorsum!
Cur digitum primum ad fundum demittitis imum,
Curvati lumbos, quasi tentent mittere bombos.
Cur nunc nodati nunc toti itis ligulati,
Nunc curtis braccis, nunc longis & bene laxis
Et numquam stabilem portatis corpore vestem?
An laus est HANSSI, *quod fiat Simia* FRANCI,
Armata est gravitas, pudor est sic discere nugas.
Qui multum expendunt apud hos qui talia vendunt,
Ah! redeunt multi Gallo de littore stulti,
Stulti ast majores, hinc qui venantur honores.
Quod linguæ ignari Galli sint nomine clari:
Queis titulum dones, potius hos esse capones.